2429.

4 objekte



585479 585482

I

Mag. St. Dr.

Bibl Jag

# PALÆSTRA NOBILIUM

seu

# CONSILIUM

## De Generoſorum Adoleſcentum educatione

*in gratiam qvorundam Illuſtrium Polonorum*

conſcriptum

à

J. P. M. D.

Pastorius Joachim

*ELBINGÆ*
Sumptibus Autoris
Typis ACHATII CORELLII
ANNO cIↃ IↃc LIV.

SUMMO GENERE

*ET AD MAXIMA QVÆQVE NATIS ADOLESCENTIBUS*

DNN. DNN.

VLADISLAO COMIT. à DÖNHOF, PA
THEODORO de GORAY GORAISKI, CASTELLANIDÆ KIOVIENSI

IOH. FRIDERICO LATINIDIS POMERANIÆ.
BOGUSLAO de POTOK POTOCKI

VLADISLAO CASIMIRO GULDENSTERNIO. L. B. de LUNDHOLM.
CHRISTOPHORO in LACHOWCE SIENIVTÆ

Laborem hunc

[redacted] *iam ipsorum susceptum*

Studiorum & omnigenæ felicitatis incrementa ex animo optans

*dicat, consecrat*

Autor.

585479 - 585482
I I

Bibl Jag
1972 K 59 St. Dr.

# PALÆSTRA NOBILIUM,

*seu*

# CONSILIUM

## De Generosorum Adolescentum Educatione, in gratiam qvorundam Illustrium Polonorum conscriptum.

QVi de rectè instituendæ Juventutis methodo vel accuratiùs cæteris cogitant, vel judicant incorruptiùs, consentiunt in eo, opinor, omnes, Nobilem, illustriq; loco natam Adolescentiam non eodem prorsus modo cum reliqvo Puerorum vulgo erudiendam esse. Cùm enim Generosi illi ad eas stationes & munia educentur, ad quæ cæteri adspirare, aut pervenire certè vix soleant aut possint, danda qvoq; opera est, ut, qvod genus vitæ adulti cum laude tenere debeant, ad id à teneris mox

ungviculis præparentur. Ac optandum sanè esset, ita rem scholasticam institui posse, ut separati extarent ludi, in qvibus Nobiles illi seorsim in studiis exercerentur conditioni ipsorum respondentibus. Uti eqvidem magnis qvibusdam Principibus curæ fuit, ut in eâ re exemplum præberent, meritò ab aliis omnibus imitandum. Sed paucos usq; videmus, qvibus ad similia molimina vel voluntas vel commoditas adsit. Plerumq; enim, qvi rem eam cordi habent, per accisas finisteritate temporum res, aut alia obstacula, destituuntur viribus, & qvi contra à viribus non deseruntur, res istiusmodi pensi non habent. Interim, qvia distincta ejusmodi Gymnasia vel nulla, vel pauca adhuc habentur, communi in Palæstrâ nobilem Iuventutem cum cæterâ exerceri oportet. Adhibenda tamen cura est, ut & sic ei consulatur, ne propter alios sibi necessaria negligat, discat contrà non necessaria. Multæ autem Institutionis puerilis partes ita omnibus omnium generum Adolescentibus communes sunt, ut nihil necesse sit in iis diversos vel Magistros, vel erudiendi modos venari. Adeoq; vulgaria Methodorum descriptarum

Præce-

Præcepta majorem partem cunctis servire possunt. Undè & mihi de Institutione Nobilium, in primis Polonorum, sensum meum breviter exprimere, uti iis, qvibus nihil non debeo, gratificer, cogitanti, non est animus repetere, qvæ ab aliis, vel à me ipso, publicâ utilitate ita rejuvenescere nos jubente, de methodo erudiendæ Iuventutis generatim scripta sunt: nisi fortè alicubi res non ferat aliter, qvàm ut nonnulla ex ante dictis inspergantur.

CAP. I.

*Latinæ lingvæ usus & necessitas in Poloniâ.*

Literarum bonarum, & in primis Latinæ lingvæ studium si usqvàm terrarum Ordini Eqvestri vel usitatum, vel necessarium est, est certè in Poloniâ. Causæ ejus rei variæ sunt. Prima & præcipua opinor est, qvod Doctrinâ, & Lingvæ maximè Romanæ qvalicunq; peritiâ opus est sacra munia & beneficia adituris. Qvæ cùm longè maxima & plurima hoc in regno sint, præcipuaq; eorum Nobilibus potissimum pateant, magnus sanè indè stimulus omnibus additur ad ea comparanda subsidia, sine qvibus Antistitia illa haberi, aut certè administrari ritè non possunt. Porrò Negotiorum Causarumq; forensium Acta latinis

nis literis scribi solent, ipsæq; leges & sanctiones Regni iisdem expressæ extant. Adde, qvod gens Polona exterarum Nationum visendarum studio plerumq; ducitur, & cum cultissimis quibusq; come atq; amicum exercet commercium. Ad id Lingvæ Latinæ organo opus, cùm propria ipsorum Lingva non nisi à cognatæ, hoc est, Sarmaticæ originis populis intelligatur. Postremò vix ulla alia gens est, quæ vel majore gaudeat libertate, vel acrioribus ad eam tuendam animis feratur. Ad id autem opus est Eloqventiâ, nec vulgari tantùm istâ, qvalis illiteratis etiam non rarò contingit, sed alterâ illâ, qvæ à Doctrinæ studiis, & ex bonorum Autorum, præsertim Latinorum tractatione exsurgit. Iltis igitur stimulis impulsa eò diligentiùs in bonarum artium Disciplinas, & sine qvâ illæ disci non possunt, Latinam Lingvam incumbere solet aut certè debet Polona Iuventus. Et hactenùs eqvidem, si quæ gens, hæc utiq; viris & Magnatibus doctissimis effloruit. Tulit superior ætas, & fert ista etiamnùm non paucos, qvi inter Literatissimos & sapientissimos seculi Viros solidæ Eruditionis famam eximiè possunt tueri.

Nec

Nec illa tamen profundior Eruditio qvicqvam officit illis, qvò minus ad vitæ politicæ officia atq; elegantias sint idonei: cùm alioqvin vulgaris qverela sit, obtundi illâ reconditarum Disciplinarum exqvisitiore tractatione ingenia, ut ad vitæ cultum, & ad negotia civilia videantur ineptiora. Nec diffiteor ego, magnum hac in re ingeniorum delectum habendum esse. Nam sunt nonnulli animi ita comparati, ut in omne Disciplinarum genus, tàm illud nempè, qvod contemplandi industriam reqvirit, qvàm alterum, qvod in actione consistit, non possint ita diffundi, qvò in utroq; excellant, singularemq; aliqvam laudem mereantur. Cæterùm ut summè glorioſum est, si alterum cum altero conjungi, & qvicqvid interioris Sapientiæ studia suggerunt, id aptè ad vitæ civilis usum afferri possit, ita si alterutro carendum sit, tolerabilius Theoreticæ Sapientiæ, qvàm Prudentiæ Practicæ damnum fuerit Nobili. Qvocirca ad hanc in primis cum curâ is ducendus est, simul atq; per ætatem duci fuerit idoneus. Vitæ ille parandus est, non scholæ; luci publicæ, non umbraticæ solitudini. Neq; turpius sphalma, qvi Nobilium

regen-

regendæ adoleſcentiæ præſunt, committere poſſint, qvam ſi illos ſcholaſticarum diſciplinarum ceu Trophonianis qvibusdam antris ita detineri atq; inhorreſcere prorsùs ſinant, ut indè ad negotia tractanda, & ad vitæ politiem fiant inhabiles. Qvid profuerit intra terræ abdita gravidas pulcherrimo auro glebas effodiſſe & collegiſſe, niſi, qvod collectum fuerit, efferas, & ad uſum deniq; tuum & aliorum convertas? Qvorſum adeò conducet longinqva terrarum perveſtigare, ſi externis Cauponum geniis moribusq; diverſoriorum ita inſveſcas, ut parentū, amicorum, patriæ, metæ deniq;, ad qvam directa ſit peregrinatio, penitùs obliviſcaris? Perindè ergò cogitandū qvoq; eſt Nobilibus, ſcholaſticas exercitationes hoſpitia & diverſoria eſſe, qvæ tranſeunda ſunt ad certum ſcopum tendentibus, non habitāda. *Non hùc itur*, ait ille, *ſed hàc*. Eunt verò illi per hæc artium diverſoria ad Prudentiæ civilis, & ad vitæ politicæ Orcheſtram, propriam nempè Nobiliū ſedem. Hìc Rhodus, hìc ſaltus. Interim certò etiam ſibi perſvadeant Nobiles, fore ſe ad vitam illam politicam longè aptiores, & ſplendidiore ibi luce fulſuros, ſi iſtuc à bonis artibus ritè inſtructi acceſſerint. Fore contra, ut, ſi

ut, si istas non attulerint, malè ferant lucem publicam, & aut fugere illam debeant, aut inter rerum peritos miserè se subindè prostituere, aliis certè palmam, etsi forsan fortunâ longè inferioribus, dare cogantur. Quare necesse est, ut animum ita prorsùs inducant suum, esse omninò sibi studia colenda, & diligenter colenda, non perfunctoriè, non quasi aliud agendo. Altè sibi qvisq; horum (qvi indole non destituitur prorsùs) metam figere debet, & ad imitandū proponere animo non istos vulgariter tinctos Qvirites, sed illos potiùs, qvos veræ & solidæ Eruditionis Sapientiæq; gloriâ supra alios aut videt florentes, aut floruisse audit. Si præsertim inter Majores suos habeat tales, ab eorum orbitâ turpe sibi putet recessisse. Insonet auribus illud:

*Te Pater Æneas, & avunculus excitet Hector.*

Etiam vetustioris Poëtæ istud subindè animum stimulet:

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

*Semper antecellere, & superiorem aliis esse.*

## Cap. II. *Modi Latinam linguam discendi.*

INitium autem faciendum est à Lingvis, & inprimis Latinâ, qvia & maximè, qvemadmo-

modum dixi, necessaria est, & difficilius hodie, qvàm ferè aliæ, discitur. Si Terra aliqva in Europâ esset, qvæ eam lingvam vernaculam haberet, eò haud dubiè Nobiles pleriq; saltem ditiores, mitterent filios suos. Sic enim istic non minore negotio eam lingvam addiscerent, qvàm disci solent aliæ, qvarum causâ à foco paterno abstrahi, mittiq; in extera loca consvevêre adolescentes. At nulla hodiè gens est, qvæ lingvâ istam à matre hauriat, Italiâ, & Româ ipsâ etiam, qvoad lingvam, priscæ illi adeò dissimili, ut Latinum sermonem nemo istic sciat, nisi qvi deditâ operâ eam didicerit. Ubiq; igitur labore, & qvadam velut insitionis industriâ, lingvæ istius comparanda peritia est. Eqvidem qvod de Collegiis, in qvibus Domestici omnes non aliâ lingvâ, qvàm Latinâ uterentur, & ego alibi, & alii ante me monuêre, id à nemine citiùs, qvàm à Nobilibus dari posset effectui: qvippe qvi facillimè omnium sumtum eum facere ac sustinere qveant. Et miror de tali Instituto in locis ad eam rem opportunis non cogitari diligentiùs, neq; inter tot Viros Magnificos, & ad pia alioqvin opera propensos, reperiri aliqvos, qvi tale velut

lut Latium extra Italiam fundare, si non pro vulgò, saltem pro nobilibus pueris aggrediantur. Dum id non fit, nulla alia ratio supereſt, qvàm ut Nobiles etiam atq; Illuſtres, modis hactenùs uſitatis, aliqvantum tamen ex Conſilio Virorum artem Didacticam curioſiùs excolentium correctis, ad lingvæ Latinæ Sacrarium deducantur. Vorandum nempè ipſis qvoq;, qvantumvis tenellis, & laborum fugitantibus, vorandum, inqvam, pariter eſt, qvicqvid circa lingvæ Latinæ ſalebras occurrit difficultatis & faſtidii. Tanti jam Dominatrix iſta & Monarchiam, inter rudera etiam Romani Imperii, retinens Lingva eſt, tanti ſaltem habetur, ut ob eam acqvirendam ægrè ſibi facere nemini grave eſſe debeat. Et penſabit ſanè illa, qvod in ipſâ inſumtum fuerit laboris, nec magno poſtea emta videbitur, cùm ampliſſimos ejus fructus ætas maturior fuerit experta. Sed nec labor qvoq; ipſe, qvem diſcendæ illi impendere oportet, tàm immanis eſt, ut qvenqvam debeat terrere. Pertulêre eas moleſtias tot Magnifici Viri, & ſine qverelâ, ſpe ſcilicet futuri commodi, pertulêre: cùm tamen uſitata ipſorum temporibus methodus non amœniorem, imò opinor

*Modi vulgati non prorſus abjiciendi, ſed corrigendi.*

*Labor adhibendus.*

ærumnosiorem faceret laborem. Mundantur à sentibus suis magis magisq; in dies viæ, qvibus ad eam lingvam itur, & perpetuò usq; desudat in eô nonnullorum industria, ut hoc in studio non omnis qvidem laboris (nam id fieri neqvit, & si fieret, vilior ipsa lingva foret) gratia fiat Iuventuti, laboris tamen & tædium minus, & præsentior fructus appareat. Sed eâ in re cum, qvæ alii & nos ipsi meditati sumus, extent, non ero nunc verbosus. Utinam modò talia, qvâ scribuntur curâ & solicitudine, eâdem à Scholarum Magistris tàm privatis qvàm publicis in effectum deducantur. Utrosq; meritò nominare oportuit, qvia nisi publicæ Institutioni privata respondeat, parùm plerumq; efficitur. Et in Nobilium potissimum institutione non minores partes & operæ Magistrorum privatorum sunt, qvàm publicorum: eò qvod publici pluribus, & variæ sortis pueris accommodare operam suam coguntur; privati autem tali varietate minùs distracti, uni aut alteri Discipulo magis vacare, & pro ingeniô, captu, usu, & necessitate studiis discentis consulere possunt. Qvocircà benè faciunt Parentes, cùm Filiis suis Educa-

*Privatorum Præceptorum opera necessaria.*

tores

tores qværunt, qvi & muneris sui difficultatem intelligant, & recte id administrare tàm possint, qvàm velint: qvïq; adeò ipsi in elegantiore literaturâ ad politiem versati sint, & a civilis tamen vitæ, morumq; cultu, cujus minimè expertes esse oportet, vitia, qvæ politicis nonnullis nimisqvam usitata sunt, sejungant. Eorum curæ incumbet, veræ Religionis & Pietatis semina animis inserere Nobilium, ad precum officia ipsos assvefacere, ad omnem in habitu, gestibus, moribusq; mundiciem, ad reddenda item operarum publicarum pensa, iisq; addenda alia, qvæ in publico disci neqveunt, attendere diligenter.

CAP. III.

*Lingvæ latinæ usus qvotidianus in loqvendo.*

INprimis autem, qvod ad lingvâ Latinam attinet, de qvâ jam hic præcipuè agimus, tàm publicis, qvàm privatis Magistris danda est opera, ut præceptis Latinæ lingvæ qvàm freqventissimus addatur usus, adeoq; nobiles illi Latinitatis Alumni cum Magistro privato, publico, & inter se qvoq;, nec in schola tantùm, sed ad mensam, & inter ludendum etiam non alio sermone qvàm Latino loqvantur. Neq; vernaculæ inde lingvæ ullum damnù est metu-

*Lingva Vernacula.*

endum.

endum. Qvæ eqvidem etiam ad elegantiam usq; exercenda Nobili est: cùm in publico versanti turpe futurum sit, non comtè loqvi eâ lingvâ posse, qvæ & materna, & maximi perpetuiq; in omni ferè negotiô usûs sit. Sed ejus poliendæ ratio nunqvam deerit, cùm qvotidiana vitæ & consortii necessitudo ad majorem subindè vernaculæ qvam Latinæ lingvæ consvetudinem invitet, adigatq;.

*Famuli non sint à literis alieni.*

Porrò hoc qvoq;, qvanquam cautis Parentibus vel ultrò obsservari solitum, haudqvaqvàm tamen omittere possum, qvìn moneam: nimirum, cùm filiis suis plerumq; famulos soleant adjungere, tales ut adjungere studeant, qvi, etsi nobiles, suâ tamen infra genus tenui fortunâ ad struendam sibi per animi Dotes fortunã incitati, in literis diligentes sint, &, ut eadem cum Herulis studia tractent, paulò majores tamen in iis habeant profectûs. Hi enim qvia acriùs examinari corripiq; possunt, ex alieno exemplo id capient Nobiles commodi, ut acerbitatem studiorum minùs sentiant, proficiantq; tamen non minùs. Nam æmulatio ipsa non segnes animis ipsorum generosis admovebit stimulos, cum modico spatio præcurrent

current illi, qvos æqvare atq; etiam superare eruditione velint, uti genere & fortunâ superant. Hoc qvoq; ad excitandos talium animos conducibile erit, ut, ubi aliqvantum in lingvâ istâ profecerint, aliqvando liber aliqvis jucundus & facilis, cujusq; materia aliundè jam qvodammodo nota sit, illis legendus suoq; Marte interpretandus detur. Tùm enim, ubi vel omnia, vel pleraq; se intelligere videbunt, gaudio ipso ad studium, in qvo profectûs suos sentient, tantò vehementiùs inflammabuntur.

*Spem successus alit, possunt, qvia posse videntur.*

CAP. IV. *Styli Exercitium crebrum.*

Cæterùm qvod omnibus lingvam istam discentibus, id Nobilibus qvoq; necessarium est, ut ubi Grammaticæ rudimentis aliqvo modò fuerint imbuti, stylum crebrò vertant. Ac primùm, dùm Tyrones sunt, perbrevia iis dentur Exercitia, & sint principiò aliqvæ ex Ciceronе sententiæ, qvas vertat Magister qvàm potest, perspicuitate maximâ, & in Latinum transferri in arenâ à Discipulis jubeat: ubi posteà, qvæ corrigenda erunt, correxerit, ipsa Ciceronis verba subjiciat, moxq; etiam, qvantum infra Autoris illius elegantiam substiterint,

rint, demonstret discentibus, phrasesq; & qvæ præcipuè notanda occurrent, subnotari jubeat.

*Exercitiorum Materiæ qvales esse debeant.*

Ex Cicerone autem eligi debent ea, qvæ in omnem vitam possunt utilia esse: qvæq; inprimis ad mores formandos pertinent: ut ex Lib. de Nat. Deor. illud. *Qvid potest esse tàm apertum, tàmq; perspicuum, cùm Cælum suspeximus, cœlestiaq; contemplati sumus, qvàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, qvo hæc regantur.* Et de Conscientiâ illud ex Orat. pro Milone. *Magna est vis Conscientiæ in utramq; partem, ut neq; timeant, qvi nihil commiserunt, & pœnam semper ante oculos versari putent, qvi peccaverint.* Sic de Prudentiâ ex l. 1. Offic. *Vt qvisq; maximè perspicit, qvid in qvâq; re verissimum sit, qviq; acutissimè, & celerrimè potest & videre, & explicare rationem, is prudentissimus & sapientissimus ritè haberi solet.* De Justitiâ ex eodem lib. *Totius Iustitiæ nulla est capitalior pestis, qvàm eorum, qvi tùm, dùm maximè fallunt, id agunt, ut boni Viri videantur.* De Patientiâ ex Epistolâ ad famil. *Simus eâ mente, qvam & veritas, & ratio præscribit, ut nihil in vitâ nobis præstandum præter culpam putemus: câq; cum careamus, omnia humana pacatè & moderatè feramus.*

Similes materiæ possunt qvoq; ex Terentio depromi, eodemq; modo tractari, ut nempè & versæ Magistri operâ, in Latinum deinde trans-

transponantur, & deniq; Compositio cum subnexo Terentii textu conferatur. Pro Exemplo sit illud ex Adelph. Act. III. Scen. 5. *Quàm estis maximè potentes, dites, fortunati, nobiles, tàm maximè vos æquo animo æqua noscere oportet, si vos vultis perhiberi probos. Nimia licentia profectò evadet in aliquod magnum malum.* Item illud ex Act. IV. Sc. 3. *Omnes, quibus sunt res minùs secundæ, magis sunt nescio quomodò suspicioſi. Ad Contumeliam omnia accipiunt magis. Propter suam Impotentiam se semper credunt negligi.*

Ad eum modum tradi sententiæ possunt de cunctis Virtutibus, ut de Probitate, Temperantiâ, Sedulitate, Fortitudine, Mansvetudine, Beneficentiâ, Magnificentiâ, Veracitate, Taciturnitate, Comitate & Civilitate, Virtute Heroicâ, Amicitiâ, Decorô.

Ubi qvotidianis ejusmodi styli Exercitiis Tyrones isti Virtutũ campum semel fuerint emensi, remetiantur eundem Exemplis Apophthegmatum de illis ipsis qvoq; virtutibus agentium, propositis: ut de Pietate, ad qvam Dei cognitio pertinet, illud ex 1. lib. de Nat. Deor. *Apophthegmata de Virtutibus.*

*Cùm à Simonide qvæsivisset Tyrannus Hiero, qvid, aut qvale esset Deus, deliberandi sibi unum diem postulavit. Cùm idem ex eô postridiè qværeret, biduum petiit. Cùm sæpiùs duplicaret numerum dierum, admiransq; Hiero requireret, cur ita faceret: qvia qvantò, inqvit, diutius considero, tantò mihi res videtur obscurior.*

Item de Continentiâ illud ex Catone Majore:

*Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eô sunt. Non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit; sed iis, qvi haberent aurum, imperare.*

CAP. V. *Apologi.*

OLim fabellæ qvoq; variorum Autorum, sed ab Æsopô præcipuè nomen adeptæ, ad hanc rem adhiberi solebant. Et habent eqvidem illæ leporis ac svavitatis, qvâ capi mustea hæc ætas amat, non parùm, earumq; non paucæ pulcherrima simul Prudentiæ tàm Politicæ qvàm Moralis continent Præcepta, vestem porrò illis perelegantem tersô stylô suô circumdedit Magnus Vir Camerarius. Postremò illæ alicubi ita editæ sunt, ut Imaginum qvoq;, qvæ additæ habentur, luce trahere possint tenellos Adolescentum animos. Sed eâ in re cum curâ ad inclinationem discentium respiciendum est. Neq; enim omnia Ingenia capiuntur fabulis, & verarum historiarum hodiè abundè est, qvibus prima Antiquitas destituebatur. Sed si rapi ad eas discentem videas, nonnisi lectissimas, & ad rem politicam plurimum facientes proponere oportet, ut ex gr: illam de *Mure Leonem ex cassibus admorsis*

*morsis liberante.* Ubi etiam mox applicationi maximè insistendum est, qvòd nimirùm ostendat fabula, magnis sæpè & potentibus viris opem tenuiorum utilem esse posse. *Item De Ranâ & Mure, dùm inter se decertant, Accipitri in prædam cedentibus,* qvo doceatur, qvod alioqvin etiã Politici solicitè inculcare solent, parvis Urbibus, Rebusp. vel, ut hodiè loqvuntur, Statibus cautè agendum, & Concordiæ vinculum cum curâ servandum esse: aliter si fiat, fore, ut tertius potentior ipsorum discordiâ in res suas abutatur, & adversus utrumq; valescat. Qvod idem alio Apologo de Eqvo, qvi cervum in eodem pabulo ferre neqviret, hominem in tergum suum admittente significatur. Qvoniam etiam Parœmiæ seu Adagia inter maximas cujusvis sermonis lautitias non immeritò habentur, selecta aliqva, & ad vitam politicam qvodammodò accommodata proponi possunt, additô, qvâ occasione natæ sint, & qvis eorum verus sit sensus. Dictetur hæc explicatio Lingvâ vernaculâ, vertant denuò discentes in Latinum. Sic erit materia Compositiunculæ, qvâ simul & stylum exercebunt, & Adagium intelligere, ac porrò ad usum transferre discent. Pro Exemplo sint ista: *Adagia.*

*Argentanginam patitur*: qvod ex Demosthenis facto ortum, in eos dici svevit, qvi muneribus se patiuntur corrumpi. *Argenteis hastis pugnare. Aureo hamo piscari. Aqvila muscas non captat. Aureæ compedes*, de splendidâ servitute. *Satius est recurrere, qvàm malè currere. Romanus sedendo vincit. Efficimus pro opibus nostris mœnia. Virtute Duce, Comite Fortunâ. Benè natis turpe est malè vivere. Novos parans amicos, ne obliviscere veterum. Simia in purpurâ. Optimum alienâ insaniâ frui. In occipitio oculos gerit. Cum vulpe vulpinari. Ædilitatem gerit sine populi suffragio. Scarabæus aqvilam qværit. Serò molunt Deorum molæ. Aqvilæ senecta corydi juventa. Dives aut iniqvus est, aut iniqvi hæres. Testudo intra tegumentum suum tuta est. Mortuo Leoni etiam lepores insultant. Emungens acriùs elicit sangvinem. Non semper erit æstas. Omnis herus servo monosyllabus. Leonina societas. Hîc Rhodus, hîc saltus. Annosa vulpes haut capitur laqveô. Iovis taxilli semper felicitèr cadunt. Habet pilus qvoq; umbram suam. Habet & musca splenem. Tentando ad Trojam pervenerunt Græci.*

Cæterùm qvæcunq; materiarum istarum Ethicarum Politicarumvè ad exercendum stylum fuerit proposita, ipsâ hâc opinor Tractatione, aut certè adhibitâ etiam atq; etiam Magistri operâ, ita infigetur discenti, ut deindè, qvandocunq; exigere eam commodum videbitur, aut recitare ad verbum, si memoria fuerit felicior, sin minùs, sensum ejus reddere possit.

Porrò

Porrò ut assiduò in memoriæ thesaurum aliqvid recondatur, qvod deinceps, qvoties usus erit, depromere nobilis puer, & ad rem porrò præsentem accommodare possit, sententiæ qvoq; breviores, & seu prosâ seu ligatâ oratione, tamen acumen aliquod continentes discentibus proponendæ sunt. Ut specimen præbeam, aliqvas attexam, meô qvalicunq; judiciô ex variis Autoribus (qvorum tamen nomina alicubi addita, plerubiq; omissa) etiam recentioribus, inter qvos Famianus Strada est, selectas, nec eas tàm novitate omnes, qvàm utilitate cõmendabiles. Si enim ea duntaxat tradenda essent Adolescentibus, qvæ nobis jam viris nova videantur, qvando illi ea discent, qvæ nobis jam trita sunt, sed aliqvando pariter nova fuêre? *Gnomæ seu sententiæ.*

*Amicorum neq; nobis, neq; cuiquam satis fuit.* Sal. *Acrius servitium iterùm victis. Adversarum rerum sensus felicissimo cuiq; acerrimus est.* Str. *Autoritas rerum agendarum telum. Alium silere qvod voles, primus sile. Astra regunt homines, sed* DEus *astra regit. Ad pœnitendum properat, citò qvi judicat. In aulâ nulla virtus minùs evehitur, qvàm qvæ timetur.* Str. *Audacia vilissimo cuiq; crescit, si timeri se sentiat. Bonis nocet, qvi parcit malis. Benè sperando & malè habendo transit vita mortalium. Bonæ Leges ex malis moribus nascuntur. Beneficium est negare nocitura. Benevolentia importuna par odio est. Beneficium accipere,*

*pere, Libertatem est vendere. Beneficiis aliqui utuntur ceu floribus, tàm diù gratis, qvàm diù recentibus. Bellicoso Populo qvies diuturna nocet.* Sal. *Belli Dux nihil magis timere debet, qvàm ne videatur timere. Bonus Vir omnes judicat esse bonos. Carere debet omni vitiô, qvi in alium paratus est dicere. Casûs veteres non sunt deplorandi novis lachrymis. Consilia omnia, præcipuè bellica, tàm diù tuta, qvàm diù tecta.* Strad. *Consilia hostium optimè reserantur aureâ clave.* Id. *Continuò timere omnem excedit calamitatem. Contemtu gloriæ contemnuntur virtutes. Corpori indulgendum est, non serviendum. Cum celeritate temporis velocitate utendi certandum est. Crudelem Medicum intemperans æger facit. Casus, qvem sæpè transit, aliqvando invenit. Cunctationi nullus locus est in Consiliô, qvod non potest laudari, nisi peractum.* Tac. *Dei Iudicia multa occulta, nulla injusta. Deum colentibus omnia prospera eveniunt, adversa spernentibus.* Liv. *Diù apparandum est bellum, ut vincas celeriùs. Dulce & decorum est pro patriâ mori. Dignum laude virum Musa vetat mori. Dei Naturam mirari, non rimari oportet. Ducum peritiâ, & virtute Militum congeminantur exercitûs.* Str. *Eget minùs Mortalis, qvi minus cupit. Erroris confessio est, mutanda feciſſe. Etiam obliviſci qvod scis, interdùm expedit. Etiam sanatô vulnere cicatrix manet. Eloqventia in homine malô est venenum in poculô aureô. Fidem qvi perdit, ultrà nihil potest. Fortunæ majori sæpè locum fecit Injuria. Festinatio singulorum mora est omnium.* Str. *Furentem apud Multitudinem parum tuta est Majestas sine viribus.* Id. *Fraus sibi in parvis fidem præstruit, ut majori emolumentô fallat.* Liv. *Fruſtrà sapit, qvi sibi non sapit. Facilius crescit, qvàm incipit dignitas.* Sen. *Fruſtra rogatur, qvi misereri*

*fereri non potest. Fatetur facinus is, qvi Iudicium fugit. Gaudium & silentium in eundem hominem vix competunt. Genus facere, qvàm accipere præclarius est. Gula plures perdit qvàm gladius. Gratia in commune collata ab omnibus accipitur, redditur à nemine.* Str. *Graviora sæpè sunt periculis remedia. Gravissimum est Imperium consuetudinis. Gravissimi morsûs irritatæ necessitatis. Hominem multa experiri Paupertas jubet. Homini Consilium tùm deest, cùm multa invenit. Honor uberrimum virtutis alimentum. Historia Lux Veritatis, Magistra Vitæ est. Homine ingratô nihil terra pejus alit. Humanitate nemo facilè peccat. Humanis in rebus secula & Personæ intereunt, causæ & eventùs iidem recurrunt. Imperator nunqvàm ità paci credit, ut se bello non præparet. Injuria unius, minæ multorum. Injuriam aliqui putant finem accipiendi.* Strad. *In magnis & voluisse sat est. Ignoscito sæpè alteri, rarò tibi. Imperium magnum habet, sibi qvi imperat. Inopiæ desunt pauca, Avaritiæ omnia. Ingenia præclara sæpè in occultô latent. Invidia ad felicitatem unicè intenta, ad merita cœcutit.* Str. *Initia Principatuum novis rebus accommodata.* Str. *Malus Miles est, qvi Imperatorem gemens sequitur. Maximæ cuiq; fortunæ minimè credendum est.* (Hannibal ap. Livium.) *Literas fovent, qvi digna literis gerunt. Lingva mente nè sit celerior. Levis est fortuna, citò reposcit qvæ dedit. Mala, undè minimè expectantur, erumpunt.* Sen. *Locum homo, non hominem locus commendat. Marcet sine adversariô Virtus. Multis displicet, qvi sibi nimium placet. Minorem se fatetur, qvisqvis timet.* Str. *Misera est fortuna, qvæ inimico caret. Multos timere debet, qvem multi timent. Metu anxiis omnia in portenta vertuntur. Mendacium plerumq; aliqua portione*

ne veri adspersum est. Str. Miser est Imperator, apud quem vera reticentur. Capitol. Morum similitudo tenacissimum vinculum ad connectendas amicitias. Plin. Ep. Negotia magna magnis egent adjutoribus. Ne feceris, quod factum nolis. Nil turpius, quàm vivere incipiens senex. Nec cuilibet credamus, nec nulli. Nihil difficile est persuadere, persvasis mori. Justin. Nullius rei sine sociô jucunda est possessio. Nimium altercandô Veritas amittitur. Non citò ruinâ perit is, qui rimam timet. Non est cicatrix turpis, quam Virtus peperit. Opes irritamenta malorum. Oderunt, quem metuunt. Opinione constant humana. Opportunitas rebus etiam minimis pretium addit. Otium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura. Propè ad summum, propè ad exitum. Patriæ fumus alienô igne luculentior. Pax servientibus gravior, quàm liberis bellum. Peccatum qui excusat, bis peccat. Pecunia, sive desit, sive suppetat, seditiosa res est. Perfidia nullis constringi vinculis potest. Potentia non semper intenditur, cùm extenditur. Puras Deus, non plenas adspicit manûs. Patientia sæpiùs læsa fit furor. Quod videri vis, esto. Qui facile credit, facile decipitur. Quod durum pati, meminisse dulce est. Qui pro innocente dicit, satis est eloqvens. Qui invitus servit, fit miser, servit tamen. Rectè faciendo neminem timeas. Regium est audire malè, cùm benè feceris. Ruborem amico excutere, amicum est perdere. Religionis qvoties mota est anchora, toties fluctuavit Reip. Navis. Str. Remedia tardiora sunt, quàm mala. Sæpè & contemptus hostis cruentum certamen dedit. Satius recurrere, quàm malè currere. Sanitate nil habet vita præstantius. Serum est, in periculis Consilium qværere. Spes inopem, res avarum, mors miserum levat. Spes est salutis,

ubi

*ubi hominem corrigit pudor. Suspiciones interdùm nulla satis diluit innocentia.* Str. *Temeritas, ubi primum impetum effudit, sicut quædam animalia, amisso aculeo torpet.* Curt. *Temporis solius honesta avaritia est. Terrore malè comparatur veneratio.* Str. *Taceri quod vis, tace. Turpe est, benè natos malè vivere. Taciturnitas stulto homini pro sapientiâ est. Victorias ægriùs incipias, quàm continues. Vive Deo, qui est Autor vitæ tuæ, vive Conscientiæ, quæ est vita vitæ tuæ, vive famæ, quæ est vita post vitam tuam. Victoria naturâ insolens est, & superba. Veritas filia temporis. Velox Consilium sequitur pœnitentia. Verecundia custos Virtutum.*

UBi brevium ejusmodi sententiarum aliquam farraginem animis perceperint discentes, ad paulò majores qvoq; transitus fieri debet, cujus notæ sunt illæ: *Fides in præsentiâ eos, qvibus resistit, offendit, deindè ab iis ipsis suspicitur laudaturq;.* Plin. Ep. *Est omninò iniqvum, sed usu receptum, qvod honesta consilia vel turpia, prout malè aut prosperè cedunt, ita vel probantur, vel reprehenduntur.* Id. *Beneficia eousq; læta sunt, dum exsolvi posse videntur, cùm multum antevenêre, pro gratiâ odium reponitur.* Tac. *Iniqvissima bellorum sors est, prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur.* Tac. *Sapiens tùm maximè Paupertatem meditatur, cùm in mediis Divitiis consistit.* Sen. *Etiam excellentibus ingeniis citiùs defuerit ars, qvâ Civem regant, qvàm qvâ hostem superent.* Liv. l. II. c. 43. *Inter causas malorum nostrorum est, qvod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, sed consvetudine abducimur.* Sen. *Ne-*

CAP. VI. *Sententiæ paulò prolixiores.*

*mo sic à naturali lege descivit, & hominem exuit, ut animi causâ malus sit.* Id. *Familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere, & invidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem, personasq; dirigere.* Vell. Paterc. *Nunquam in solidô stetit superba felicitas, & ingentium Imperiorum magna fastigia oblivione fragilitatis humanæ collapsa sunt.* Sen. Pater Svas. II. *Cuncta Mortalium in incertô, quantoq; plus adeptus sis, tantò te magis in lubricô esse censeas.* Tac. *Naturâ Infirmitatis humanæ tardiora sunt remedia, quàm mala, & ut Corpora lentè augescunt, citò exstinguuntur, sic Ingenia studiaq; facilius oppresseris, quàm revocaveris.* Idem.

Sententiàs ejusmodi opus est ut ipse Magister habeat in promtu, & quasi in numerato, qvò etiam eas datâ occasione ad mensam vel alibi applicet ad usum. Ità enim crebrò auditas nec obliviscentur Adolescentes, & exemplô Magistri ipsi qvoquè ad rem accommodare discent: præsertim cùm subindè moniti fuerint, ubi, & qvali in re adhiberi illæ debeant.

CAPUT VII. *Sententiæ sacræ.*

QVia verò profanorum ferè tantùm Autorum sententias hactenùs adduco, nolim cuiqvam sacrarum oblitus videri, qvin altissimâ voce inclamo omnes nobilium Adolescentum Magistros, ut ex divino & purissimo fonte veræ sapientiæ petitas vitæ Regulas vel maximè

maximè inculcent Discipulis suis. Nam & plus fidei habent, aut certè merentur, qvàm profanæ, & altiùs feriunt pectora, qvia divinæ sunt, Pietatemq; meliùs inserunt animis: rem tantò magis urgendã, tantoq; Nobilibus instillãdam religiosiùs: qvò illi posteà in altô viventes, & à fortunâ molliter habiti, faciliùs abripiuntur ventis licentiæ, qvoq; molestiùs plerumq; Censores ferre solent. Habeant itaq; ejusmodi intra se qvasi Monitores, habeant memoriæ impressos istos Dictorum sacrorum velut aculeos, qvibus animus subindè ad pudorem Deiq; reverentiam stimuletur. De Officiis itaq; hominis ergà Deum, Dominorum erga servos, filiorum erga Parentes præcepta, qvæ in sacris occurrunt, item hortationes ad Sapientiã, Iustitiam, Temperantiam &c. diligẽtissimè illis insinuanda sunt. Ex Proverbiis præcipuè Salomonis & Syracide aliqua depromãtur, qvippe in qvibus plurima morum & Prudentiæ præcepta continentur, omnibus Philosophorum effatis solidiora. Ut illa Salomonis: *Melior est correptio manifesta, qvàm amor occultus. Noli esse amicus homini iracundo, nec ambulato cum homine furioso. Vidisti Virum velocem in opere suo, coràm Regibus stabit, nec erit inter ignobiles. Totum spiritum suum profert stultus,*

*tus, at sapiens reservat aliqvid in posterum. Princeps qvi libenter præbet aures verbis mendacii, omnes servos habet improbos. Non decet Principem labium mentiens. Mollis responsio frangit iram. Homines derisores perdunt Civitatem, sapientes verò avertunt calamitatem. Memoria Iusti cum laudibus, at nomen Impiorum putrescet.*

CAPUT VIII. *Materiæ exercitiorum politicæ.*

POstqvàm Generosi Tyrones istis, aliisq; in Diatribe explicatiùs propositis Progymnasmatibus ad majora satis præparati videbuntur, proponi illis & Rhetorices Præcepta pleniora, & exercitii causâ graviores materiæ debent, ac tales inprimis, qvæ homini politico possint esse conducibiles. Seligenda itaq; Problemata politica, & in exercendi styli materiam convertenda sunt. Ut ex. gr. *An otiosi in Rep. ferendi. An factiones & Dissidia inter subditos alenda. An sceptrum dandum sit Peregrino. An Legibus scriptis in Rep. opus sit. An homicidas numeratâ pecuniâ impunes dimittere justum videatur. An externus Miles ad defensionem Patriæ vocandus. &c.* Tales Qvæstiones à bonô aliquô & Latinitatis non negligente Autore (qvales sunt Piccartus, Berneggerus, Freinshemius, Beclerus, alii) tractatas vertant in vernaculum Discentes, & posteà sepositô Autore reducant in Latinum. Ubi sic alienis lineis insistendo aliqvandiù se exercuerint, ipsimet similium

similium Qvæstionum Politicarum Decisiones, conqvisitis ex Autoribus in utramq; partem argumentis, faciant, politioreq; Latini sermonis qvasi veste induant, ac deniq; publicè recitent. Sic enim & diligentiùs solicitiùsq; elaborabunt, qvæ plurium auribus judiciisq; submittenda esse scient, & paulatim coràm majore hominum Coronâ animis imperterritis verba facere discent. Qvæ res Nobilibus præcipuè magnopere necessaria est. Qvos haud ornat eqvidem ferocia, etsi ea multis specie animositatis imponat, sed nihil magis qvòq; eosdem dedecet, qvàm Timiditas, ut contrà nihil magis commendat, qvàm animi præsentia, nullâq; in re honestâ nimis erubescens aut trepidans Generositas, seu, ut Tacitus vocat, ingenita Nobilitas. Cæterùm hanc, de qvâ agimus, fiduciam nulli tantam insevit Natura, qvîn Exercitatione, etiam scholasticâ, augeri possit. Et eô fine in benè institutis Gymnasiis Declamationes ejusmodi & subindè qvidam Actus publici, petitis ex Historiâ Materiis, distributisq; velut ad Drama qvoddam, in singulas Personas pensis, haberi consvevêre. Possunt verò etiam in Eloqventiæ exercendæ

*Animi præsentia.*

*Actus publici.*

exercendæ materiam antiqua, atq; etiam ficta exempla sumi. Sic Pater Horatii Romani introduci potest, miseriam suam qverens, qvod & filiam amiserit, & filium tàm egregiè de Patriâ meritum amissurus sit. Item Populi Romani Horatium à supplicio liberantis sermo repræsentari qveat. Item Oratio Matris Veturiæ, filium Coriolanum ab oppugnatione Patriæ dehortantis. Sed inprimis ex Polonâ Historiâ segetem declamationum peti suadeam. Ex. gr. Repræsentetur populi Poloni Oratio Lechum II. regno exuentis, qvia fratrem suum occidisset. Producatur in Theatrum facinus Popieli Patruos suos nefandô facinore interimentis, sed simul qvoq; pœnæ illi divinitùs illatæ atrocitas depingatur. Exaggeretur facinus Boleslai Audacis, qvi innocentissimũ Antistitẽ occidere sustinuerit. Parentetur Vladislao Jagellonidæ, qvi malè suscepti belli culpam sangvine suo ad Varnam luit. Ex qvâ Historiâ facile etiam integrum Drama confici poterit, si aliqui Consiliariorum Regis dissuadere bellum in Amurathem, alii svadere fingantur, atq; inter hos præcipuè Julianus Pontificis Legatus: si & Amurathis Oratio perfidiam Christia-

Christianam detestantis; si deniq; nuncius omnem infelicis prælii actum & exitum referens introducatur.

SEd ista, qvæ jàm præscribo, non ante felìciter procedere possunt, qvàm in Autorum, è qvibus Latinitas haurienda est, lectione uteunq; versati fuerint discentes. Qvare hùc tempestivè illi ducendi sunt. Autores legendos, & ordinem, qvô legendi sint, alibi pro viribus monstrâsse mihi videor. Attamen, qvia non omnium Autorum lectio, ab illis alioqvin exigi solita, qvi ex Eruditione vitæ præsidia qværunt, â Nobilibus postulari potest, vel debet, qvi præter cæteros his commendandi sint, breviter indicabo. Ac primùm Ciceronis Epistolas, sed selectas, proponi iis velim: in qvibus & ipsis, qvia à viro Consulari, & in magno Romani Imperii climacterico scriptæ sunt, cùm multa Politico utilia occurrant, non ea tralatitiô segniq; oculô transmittenda sunt, sed qvantum captus & ætas fert, expendenda, atq; in futurum post usum seponenda. Indè ad Officia ejusdem Tullii, pòst ad orationes pro Lege Manilià, pro Marcello, pro Archiâ, pro Milone, in Catilinam, & id genus

CAP. IX. *Autorum legendorum series.*

genus alias transeundum est. Simul mox ad Cornelium Nepotem, & Cæsaris Commentarios ducendus est Tyro nobilis. Hos ubi percurrerit (neq; enim diù morantur, qvia faciles sunt, & meræ qvodammodò narrationes, nullis fermè sententiis Lectorem sistentibus distinctæ) ad Curtium, Justinum, Sallustium, Livium deniq; ipsum admittatur. Hic enim, etsi cæteri omnes suis dotibus suspiciendi sunt, plus cæteris animum discentis tùm verborum, tùm rerum exemplorumq; copiâ ditare potest: qvia universam rem Romanam & varias Dominatoris illius populi vices, ancipites Senatûs deliberationes, tùm acerrimas cum plebe & Tribunis concertationes aliaq; ejusmodi pari Ingeniô, judiciô & facundiâ complexus est, cùm reliqui paucorum annorum particulas aut majorum duntaxat operum compendia dederint. Non est etiam silentiô transeundus Svetonius, mores aliquot Imperatorum ingenuô stylô, & eâdem libertate prosecutus, qvâ illi vixerunt. Atq; indè porrò cæterorum qvoq; Imperatorum vitas, etsi impare seqviorum seculorum facundiâ descriptas percurrere utile erit. Neq; enim ullâ re ad vitam prudenter probeq;

*Livius præcipuè commendatur.*

probeq; instituendam animus potentiùs movetur, qvàm vitæ alienæ contemplatione. Atq; inprimis magnorum natalium homines, si æquè mentis qvàm gentis generosæ sint, ad subductiorem curatioremq; vitæ rationem stimulum indè capiunt, cùm nullas Principum virorum actiones ità delitescere potuisse vident, qvìn ope literarum in apricum productę, atq; ad perpetuam illorum vel laudem vel ignominiam in magnô orbis theatrô hodieq; spectentur, leganturq;. Majore elegantiæ qvàm veri curâ Imperatorum res gestas laudesq; descripsêre Panegyristæ: adeoq; ob ipsa inprimis magnifica verborum lumina, & acutissimas sententias legi debent. Præcipuè Plinius, qvi omnium maximè, eximiâ qvâdam ingenii & artis conspiratione id assecutus videtur, ut mirificè ubiq;, & sine damnô tamen perspicuitatis, sit argutus. Minimè autem tacitè præteundus nobis est Seneca & Tacitus, Autores sanè magnificis ingeniis digniſſimi. Nam ut ille altiſſimos, & qvemadmodùm virtutem, sic summam plerumq; libertatem spirantes sensûs pari verborum sublimitate & efficaciâ eloqvitur: ita hic arcaniſſima hominum in

*Vitas legere perutile.*

*Panegyrici.*

*Seneca & Tacitus.*

altô agentium Consilia & penè cogitata summo acumine & penetrat & effatur. Sed de his aliisq; pluribus Autoribus alibi egi accuratiùs.

Injurius essem in Poësin, rem divinam, si eam à studiô Nobilium prorsùs excluſam vellem. Constat nobis, qvanti ab omnibus olìm habitus fuerit Homerus, qvanti ab Alexandrô ipso, Magnô illô orbis Domitore, æstimatus. Iam Virgilii carmina in deliciis fuisse Augusto, uti & Horatii, latet profectò neminem. Et certè si non alios, hos saltèm duos à nobilibus evolvi, curæq; haberi velim. Sed inprimis Virgilii Æneida: idq; tùm propter verborum lumina & Orationes passìm insertas elegantissimas, tùm præcipuè propter res ipsas ad Politicam plurimùm facientes. Nam in Æneâ nihil aliud nobis Poëta divinus qvàm characterem pii & sapientis, sed multis periculis jactati Principis dedit: uti J. Cæsar Scaliger in doctissimô librô de Poëtica prolixè ostendit. Porrò illa virtutum casuumq; exempla, qvia numeris ligata sunt, eò facilius hærent memoriæ, adeoq;, si diligenter lecta fuerint, eò proclivìùs, ubi opus erit, stylo & sermoni sese ingerent. In

CAP. X. *Certis Autoribus præcipuè immorandum.*

IN tantô verò Autorum numero, cùm fieri vix ſoleat, ut omnes pari diligentiâ à nobilibus evolvantur: eorum nonnullos utcunq; percurri ſufficit. Interìm ſeligantur aliqui, qvos aſſiduâ iteratâq; adeò lectione planè ſuos facere nobiles illi conentur: ita ut ex iis præcipua qvæquè in promtu, & ferè memoriæ infixa habeant: ſaltem reperire qvidlibet poſſint, cùm uſus poſtulaverit. In delectu ipſa animorum inclinatio qvodammodò ſeqvenda eſt. Alius enim hôc, alius alio Autore magis delectatur. Interìm optem, ut propenſio illa in Livium potiſſimùm, poſteà in Tacitum incidat. Hos ſi Autores, (qvibus Senecam ob morum præcepta addi velim) pernoverint penitiùs, habebit ſemper mens, undè bonos conceptûs, habebit & lingva, undè penetrantia & efficacia Orationis lumina fulminaq; haurire poſſit.

CAP. XI. *De Græcis Autoribus.*

GRæcorum qvoq; Hiſtoricorum aliqua facienda eſſet mentio, qvia multa habent egregia, inprimis Xenophon, Thucydides & Polybius. At vix audeo illos commendare Nobilibus. Non, qvod non mereantur legi,

aut ab aliqvibus magnæ stirpis & conditionis Viris non cum fructu lectos sciam, verùm ideò, qvod Nobiles plerumq; vix latinis Autoribus legendis debitam patientiam commodant, nonnunquàm etiam ad vitam vel aulicam vel militarem ità properant, ut non nisi selectiores, neq; illos totos, sed vix particulas, & sæpè nimis festinante oculô percurrant. Qvod cùm ita sit, satius est, in Latinis præcipuè ut occupentur Autoribus: sic enim præter rerum scientiam lingvæ qvoq; latinæ fructum metere possunt: cum græcam rari discere soleant, imò altô plerumq; superciliô, ut non necessariam, despiciant: ignari scilicet aut minùs pensi habentes, sine illâ ne latinam qvidem solidè disci, imò nec legitimè scribi pronunciarivè posse. Qvâ de re alibi monui. Si tamen Græcorum aliquem legere vel animus vel otium svadet, Plutarchi vitas inprimis commendavero, librum multifariæ frugis, & Nobilibus perqvàm utilem, qvia magnorum virorum mores & gesta, factâ inter Romanos & Græcos contentione pulcherrimâ, cordatissimè exeqvitur. Vir haudqvaquam umbraticus, sed magnis dignitatibus functus, & ut qvidam existimant, Tra-

*Plutarchi vitæ.*

jano

jano qvondam à ſtudiis, jure qvoq; ap. Agellium *doctiſſimus* atq; *prudentiſſimus* dictus. De eô deniq; non immeritò Theodorus Gaza, cùm rogaretur, ſi neceſſe eſſet libros omnes in mare præcipites dare, qvem poſtremò projecturus eſſet, reſpondit: Plutarchum. Qvocirca, ſi etiam græcum cui non libeat legere, latinum tamen (cùm ſat benè à Xilandro verſus extet) legendum cenſeo.

CAPUT XII. *De Autoribus recentioribus.*

NOminavi non paucos Autores, qvorum lectionem frugiferam fore Nobilibus certus ſum: & reſtant tamen alii, qvos haud-qvaquàm puto negligendos, præcipuè ex recentioribus. Ac primùm ut totius hiſtoriæ qvoddam Compendium, & velut Enchiridion, qvod ubiq; ſecum ferre poſſint, habeant, præter Turſellinum mirè terſum, ſed perbrevem, *Cluveri* Epitomen, ut ſibi familiarem reddant ſvadeo. Qvia illa omnem ferè meliorem antiqvioris hiſtoriæ ſuccum exhauſit, adeoq; ea, qvæ ſparsìm in Hiſtoricis lecta fuerint, in memoriam revocare poteſt: plerumq; etiam verba bonorum Autorum retinet, ut ſtylo qvoq; lectio libri illius non pœnitendum afferre adjumentum poſſit. Cùm tempus eſſe privatus ſtudio-

ſtudiorum Director judicabit, ad alios qvoq; recentioris ævi Autores ducet generoſos diſcipulos ſuos. Sed primùm eos ſeliget, qvorum dictio puræ latinitatis ſit, adeoq; eloqventiæ ſtudio provehendo utilis eſſe poſſit: qvorum non paucos anni ſuperiores & tempora noſtra effudêre. Nominare eos hîc nihil attinet, cùm alibi in *Epiſtolâ de eloqventiæ ſtudiô* id operosè fecerim. Hoc tantùm monere hâc occaſione velim, malè ſibi ſtudiisq; ſuis illos conſulere, qvi intra veterum unicè Hiſtoriarum lectionem conſiſtunt, recentiorum & domeſticarum rerum incurioſi. Undè fit, ut tales plerumq; in antiqvis & longè remotis oculati, in ſuis cœci, vereq; adeò peregrè domeſtici, domi peregrini ſint. Cùm cuiq; patriæ ſuæ & ſeculi ſui res ſcire maximè neceſſarium ſit, & antiqvos non aliô fine legere oporteat, qvàm ut, qvæ olìm geſta ſunt, ad præſentia accommodemus. Porrò non principum familiarum vincula, nec Regnorum Provinciarumq; inter ſe neceſſitudines, vel controverſitas, bellorumq; adeò jura ſcire qvisqvam (cùm tamen vir nobilis & politicus iſta ignorare non debeat) poſſit ſine diligente recentiorum Autorum lectione.

*Utile eſt legere propiora ſeculo noſtro.*

Undè

Undè viros illos, qvi in Rep. plurimum possunt, non minùs in Comineô, Paulô Æmiliô, Bonfiniô, Cromerô, Gvicciardinô, Thuanô, Stradâ, Gramondo, Maroceno qvi Venetam hiſtoriam, Bentivolio qvi Belgicam, Amirato, qvi Florentinam, Malavoltâ qvi Senenſem, Emmio, Vinſemio, qvi Friſiam ſcripsêre, & ejusmodi aliis verſatos ſcio, qvàm in Curtiô, Vellejô & aliis ejusmodi antiqvæ monetæ Autoribus. Multi inter alias ſummas utilitates, hanc qvoq; ex peregrinatione hauriunt, qvod dùm peregrè in gentium externarum lingvis ſe exercere cupiunt, libros earum vernaculos atq; inprimis hiſtorias evolvunt, magnô ſanè in omnem vitam emolumentô. Hinc fit, ut qvi induſtrii ſunt & rerum ſuarum ſatagunt, Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Anglorum, Belgarum, Autoribus lectis non lingvas tantùm iſtarum gentium addiſcant, ſed rerum etiam apud illas geſtarum non pœnitendam ſecum domum peritiam referant.

*Singularum Nationum Scriptores.*

## Caput XIII.

*Excerpendi Induſtria commendatur.*

Cæterùm ut Medico vel Sepiaſiario latiſſimos & ſalutarium herbarum fertiliſſimos campos hortosq; perluſtrare nulli rei fuerit, niſi eas plantas, qvas uſui medico idoneas putet,

putet, decerpat, colligatq́; ità lectio plurimorum Autorum nihil profuerit, nisi exerpendi diligentia accedat. Solet nonnullis Labor iste fastidio atq́; odio penè esse, qvidam & memoriæ fidunt, & prout id, qvod legunt, dùm à lectione recentes sunt, meminisse se vident, ità perpetuò id animo hæsurum credunt. Sed plerosq́; fallit opinio, & rerum aliarum subindè imaginibus oblatis obliterantur priores: rapitq́; oblivio identidem optima qvæq́; & memoriâ digniſſima. Omninò igitur Plinium imitari oportet, qvem Plinius Junior nihil legisse testatur, *qvod non excerperet.*

CAPUT XIV. *Excerpendi modus ostenditur.*

EXcerpenda autem tùm verba & phrases sunt, tùm res. De verbis, qvomodò, & qvæ excerpenda digerendaq́; sint, alibi monui. Circa res paulò major difficultas est. Ego primùm ordine omnia memorabilia, sive sententia sit eximia, sive judicium de re aut personâ, sive exemplum virtutis vel vitii, sive omen, sive monstrum, sive casus, sive stratagema, sive institutum gentis singulare, sive calamitas publica, sive ritus, sive structura aliqua, singularis & alia ejusmodi ordine, prout qvidq́;

qvidq; occurrit, in libro ad id comparato connotari, & in margine Titulum addi svadeo. Interim alius Liber concinnetur, cui (donec alundè qvid accuratius suggeratur) Tituli ex Keckermannianis, qvi nimium multi & operosi esse videntur, selecti contractiq; inscribantur, & sub his ea, qvæ ante raptim & sine ordine discens congesserat, adhibitâ accuratiore diribitione collocentur. *Tituli.*

Qvibusdam Cl. Viri Berneggeri consilium & exemplum placet. Qvi vir Politicæ Lipsii, qvam familiarissimam sibi reddiderat, adeò ut nihil in eâ ipsum lateret, chartam mundam inseruerat, ibiq; annotabat, qvicqvid in Autoribus ad textum Lipsii faciens reperiret. Sed tùm tamen in fine Libri locus relinqvendus erit multis rebus, qvibus intra Librum annotandis ex Lipsiano textu nulla erit occasio: Cùm Lipsius Principem formet, & qvid in Monarchicô statu fieri soleat debeatq;, doceat potissimùm: casuum, structurarum, calamitatum publicarum, plurimarumq; similium rerum istic non fiat adeò mentio neq; fieri potuerit. *Loci communes Berneggeri.*

## Caput XV.

EGo præterea nobilem, cui, si aptus sit, freqventem subindè in publico dicendi campum *In Lectione de praxi & usu mox cogitandum.*

campum mos patrius suppeditat, optimè sibi consulere autumo, si qvoties aliqvid egregium in Autore legit, illicò cogitet, ubi id sibi olim in luce publicâ ad Orationem decorandam utile esse possit. Ut rem istam tantò vel commendatiorem, vel perspicuam magis reddam, lubet præire, & lineas aliqvas pingere, qvas æmulari deindè Juventus poterit. Si ex. gr. in Senecâ leget sententiam: *Omnis dies, omnis hora, qvàm nihil simus, ostendit, & aliquô argumentô recenti admonet fragilitatis oblitos;* cogitabit illicò, fore ei aliqvando locum in Oratione funebri. Cùm apud eundem illud occurrit: *Eripit se, aufertq; ex oculis perfecta virtus, nec ultimum tempus expectant qvæ in primô maturuerunt,* veniet mox in mentem id usurpari posse, si de magnô aliqvô sed præmaturè mortuo Juvene loqvendum sit. Cùm apud eundem Senecam illud incidet: *Idem huic Vrbi dominandi finis erit, qvi parendi fuerit,* id locum habiturum reputabit, si qvando ordines ad obsequium legum hortari voluerit. In Interregnô si de Electione festinandâ loqvendum sit, illud Taciti non incommodè usurpari posse reputabit: *Hoc Imperii corpus stare ac librari sine Rectore non potest.* Si svadendum vel excusandum bellum, non importunè se aliqvandò illud Livianum obtulerit:

*Iustum*

*Iustum est bellum, qvibus necessarium est, & pia arma, qvibus nulla nisi in armis spes relinquitur.* Si calamitoso Reip. tempore Civibus svadendum sit, ut Conditiones aliqvas iniqviores accipiant, non ineptum fuerit illud Alconis apud Livium usurpare: *Hæc, qvanqvàm gravia atq; acerba, Fortuna nostra nobis svadet.* Si Clementia Principi svadenda, gratiam qvandoq; inveniet Senecæ illud: *Maxima Regi gloria est, si vim suam continet, si multos alienæ iræ eripuit, neminem suæ impendit.* Item Tiberii prudentissima vox apud Tacitum: *Omittere potiùs prævalida & adulta vitia, qvàm illud assequi, ut palàm fiat, qvibus flagitiis impares simus.* Huc etiam aliqua conducent ex Oratione Roderici Gomesii, qvę est ap. Strad. Dec. 1. l. VI. Si de Principis assiduitate, & laborib⁹ indelassatâ diligētiâ verba facere res ferat, haud indecens erit illud ex Panegyrico ad Theodosiū: *Gaudent divina perpetuô motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas, & qvicquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Vt indefessa vertigo cœlum rotat, & maria æstibus inqvieta sunt, & stare sol nescit: Ità tu, Imperator, continuatis negotiis in se qvôdam orbe redeuntibus semper exercitus es.*

Tales gemmulæ cùm in Autoribus occurrunt, adeò non oscitanter transeundæ sunt, ut illicò, qvemadmodùm paulò ante monui, de earum tempestivô usu meditandum, & qvò

ſuo tempore faciliùs ad nutum ſint, ſuis locis ſingulæ reponendæ ſint. Qvô fine ſvadeo, ut tituli materiarum in publicô crebriùs obvenientium habeantur, ſub qvos lumina ejusmodi referri poſſint. Occaſiones autem & argumenta Orationum uſitatiora ferè hæc ſunt. Pri-

*Nuptiales materia.*

mò circa *Sponſaliorum & Nuptiarum ſolennia*: ubi de laude conjugii, de dotibus Sponſi Sponſæq; dici aliquid, poſtremò deniq; pro fauſto ſucceſſu Nuptiarum votum addi ſolet. Poſſunt hìc locum reperire ſententiæ nonnullæ de Amicitiâ: ut ex. gr. *Qvi Amicum invenit, theſaurum invenit. Nulla eſt Amicô pulchrior poſſeſſio. Solem è mundo tollere videntur, qvi amicitiam de vitâ humanâ.* Item de laudibus bonarum conjugum, qvalis illa ſacra eſt. *Vxor bona eſt columna aurea ſuper baſes argenteas. Mulier bona Corona eſt Viro ſuo. Eccleſ. 5. Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudica. Eccleſ. 16.* Item Horatianum illud:

*Felices ter & ampliùs!*
*Qvos irrupta tenet Copula, nec malis*
*Divulſos qverimoniis*
*Supremâ citiùs ſolvit amor die.*

Si qvis uberem materiarum ad Nuptias pertinentium farraginem qværit, conſulat *Oratorem Extemporaneum* nuper editum, à pag. 189. usq; ad

ad pag. 268. Si de Principis alicujus nuptiis agatur, reqvirendi ejusmodi actûs sunt in Historiis. Vide inter alia deliberationes & apparatûs circa Conjugium Alexandri Farnesii ap. Strad. l. IV. mihi p. 211. edit. minutæ anni 1636. Vide item Legationes de Matrimoniis inter Principem Andinum & Elisabetham Reginam, apud Cambdenum in historiâ Elizab. sub anno 1581. Alterum genus est Funebrium, in qvibus plerumq; aliqvid de conditione humanâ præmittitur, posteà genus & virtutes Defuncti enarrantur. Ad utrumq; hoc plurima observare annotareq; poterunt, qvi istùc, dùm Autores legunt, volent advertere animum: & aliqua paulò ante in specimen attuli. Lubet tamen pauca adhùc addere. *Qvomodò fabula, sic vita, non qvàm diù, sed qvàm benè acta sit, refert.* Sen. *Funebres.*

*Ut tibi mors felix contingat, vivere disce;*
*Ut felix possis vivere, disce mori.*

*Non est mala mors putanda, qvam bona vita præcessit. Mors vitam intermittit, non eripit.* Senec. *Nullum est majus solatium mortalis, qvàm ipsa mortalitas.* Et: *Ingens mortalis solatium est, terram qvandoq; videre mortalem.* Vide multa ejus notæ in Orat. extemporaneo p. 308. Vide etiam Vossii Rhetoricam maj. l. III. p. 412. Et Palitium Eloqvent.

*Conciliatoriæ.*

P P. Mogunt. p. 739. seqq. Posteà sequuntur Conciliationes vicinorum, vel magnorum in Republ. Civium: qvam ad rem, uti multa opportuna Autorum lectio suppeditabit, ita illud Metelli apud Livium servire poterit: *Non possumus non vereri, nè tantum Reip. prosit, qvod omnibus bonis egregiè placetis, qvàm, qvod alter alteri displicetis, noceat.* Item Taciti illud: *Fas est privata odia publicis utilitatibus remittere.* Nonnunqvam tempora ferunt, ut milites tumultuantes, & vim Patriæ inferre molientes oratione demulcere necesse sit: tùm haud pauca utilia suggeret Oratio Germanici ap. Tac. Annal. l. I. c. 42. Othonis apud eund. Tac. l. Histor. Vide etiam Orationem Escovedi ad Hispanos seditionem in Belgiô molientes ap. Stradam l. IX. edit. minut. pag. 593. Si Poëtas qvoq; adire lubet, vide Julii Cæsaris Orationem ap. Lucan. l. V. in qvâ Cæsar præfractiùs agens cum milite ferociente, permittit ei ut abeat, si ita lubeat, se nolle talibus debere fortunam suam. Milites verò ad prælium animandi plurima tàm in antiqvis, qvàm recentibus Historicis exempla extant. Vide Scipionis & Annibalis Orationes in Liv. l. XXI. c. 40. 41. item Valerii Corvini

*Militem animandi*

lib. VII.

lib. VII. hoc initiô: *Facta mea, non dicta vos milites sequi volo, &c.* Ap. Tacitum in Vitâ Agr. extant duæ insignes, una Galgaci, altera ipsius Agricolæ. Consule etiam svas. II. Senecæ Patris, vide & ap. Stradam Osorii Ulloæ lib. VIII. mihi pag. 546. hôc initiô: *Ecqvid videtis, Commilitones.* Vide deniq; ap. Lucanum l. II. Orationem Pompeji militem suum adversus Cæsarem animantis.

In Comitiis qvæ occurrunt Materiæ, vix numero comprehendi possunt. Usitatiores tamen hæ sunt: Salutari primò omnium Princeps solet nomine Nobilitatis, & si negotia publica non infeliciter cesserint, pro curâ & amore in Rempubl., pro re benê & fideliter gestâ solenniter & magnifico verborum apparatu gratiæ agi consvevêre. Qvam ad rem non sterilis colorum seges suppetet illi, qvi in lectione Autorum, præsertim Panegyricorum, aliqua subindè selecta sibi reposuerit. *Comitiales materia.*

Solent qvoq; tùm Duces militares, si qvid in bellô benè gestum est publicè enarrare, simulq; milites, qvi virtutis specimina dederint, commendare, qvod & apud Romanos usitatum fuisse, cùm aliundè, tùm ex oratione L. Æmilii patet, qvæ extat apud Livium l. XLV. So-

Solet item beneficiorum, seu vacantium Reip. dignitatum honorumq; erogatio postulari, ubi de præmiis de Rep. benè meritorum agi solet. Hic istarum sententiarum usus esse potest: *Eò impenditur Labor ac periculum, unde honor atq; alimentum speratur.* Liv. *Virtutis uberrimum alimentum honor est.* Val. Max. Conferet qvoq; ad eam rem aliqvid Oratio Eumenis in Senatu habita, qvæ ext. in Liv. l. XXXVII. Potest & illud locũ hîc invenire: *Pessimè agitur cum Rep. ubi honores alii merentur, alii habent.* Item illud Taciti XI. Annal. *Apud Majores virtutis erant præmium Magistratûs, cunctisq; Civium, si bonis artibus fiderent, licitum eos petere.* Utilia qvoq; in rem istam monita habet illustris Savedra sub Symb. 58.

Plurimus qvoq; de Libertate in Comitiis sermo esse solet: *Qvæ inter præcipua humani animi bona*, ut Galba apud Tacit. l. I. Hist. Modestè tamen semper habenda, qvia *plerumq; homines nec totam servitutem pati possunt, nec totam libertatem.* Huc pertinet admonitio Jannini Regis Galliarum Legati, qvam Ordinibus Belgicis dat ap. Baudium l. XI. de Induciis Belgicis: *Moderatè utamini ingente munere ac dono libertatis: Periculosum est depositum, & velut ferrum in manu furiosi, si qvis non habeat artem eam regendi, &c.* Adhortatio verò ad asserendam liberta-

bertatem populi extat apud Salluſtiũ in fragm. Hiſt. l. III qvam habuit Marcus Tribunus plebis: in qvâ inter alia *vis tribunitia telum à majoribus libertati paratum* vocatur. Qvemadmodum & Jcilius ap. Livium *Tribunitium auxilium & provocationem duas arces tuendæ libertatis* appellat.

Plerumq; etiam Contributiones ſvadendæ vel diſſvadendæ. Ubi ſvadendum Tributum eſt, conducet illa ſententia Cerialis ap. Tac. l. IV. Hiſt. *Neq; qvies gentium ſine armis, neq; arma ſine ſtipendiis, neq; ſtipendia ſine Tributis haberi qveunt.* Si de æqvalitate Tributorum ſermo eſſe debeat, conſuli poteſt Qvæſtio 194. Cl. Berneggeri in Agr. Tac. Si diſſvadenda Tributi exactio, vide ap. Strad. l. VII. p. 487. initium ita habet: *Falli rationes Albani, qvi ſibi perſvadeat &c.* Vide & qvæ habet vir Clariſs. Forſtnerus ad Taciti illa (lib. IV. Annal.) verba: *Pacem exuére, noſtrâ magis avaritiâ, qvàm obſeqvii impatientes.* Nonnunquàm & bellum ſvadendum, qvò pertinent Orationes Actii Tullii in Liv. l. III. Item Capitolini ad Pop. Rom. l. III & Camilli Exulis ad Ardeates. l. V. &c. & Attilii Reguli ad bellum cum Pœnis continuandũ hortantis, in Cl. Freinshemii Suppl. Livian. lib. VIII p. 363. Et Appii Claudii ap. eund. l. III. p. 108. Ratio-

nes pacem Belgis ſvadentium diſſvadentiumq; vide ap Reidan l. VI. p. 132. & ſeqq. Apud eund. extat Legatorum Belgicorum Oratio, qvâ Reginæ Anglorum Pacem cum Hiſpano diſſvadent l. XV. p. 402. & ſeqq. Ejusdem argumenti, ſed prolixior eſt Oratio Baudii ad Jacobum Britanniæ Regem, qvæ inter orationes Baudianas ſexta eſt. Si & Poëtas conſulere non grave eſt, videri poteſt in Virgilio Oratio Alectûs Furiæ Turnum hortantis ad bellum, Æneidos VII. item Iridos, libro IX. Turni item ſeipſum & Socios ad bellum hortantis l. eod IX. Apud Lucanum qvoq; legi meretur Oratio Curionis Cæſarem ad apertũ bellum hortantis.

Ad diſſvadendum bellum conferre poteſt Oratio Nabarzanis ad Darium ap. Curtium l. V. Metii Suffetii apud Livium, & apud eundem Hannonis ad Senatum Carthaginenſem lib. XXIII. c. 12. & Scytharum ad Alexandrum apud Curtium l. VI. & Parmenionis ap. eund. l. IV. Apud Virgil. à bellô dehortatur Drances Æneidos l. XI. & Venulus verbis Diomedis l. eod. & Latinus Rex l. XI. & XII. Vide etiam in Stradâ l. VI. Orationem Feriæ Ducis Regi Hiſpano bellum diſſvadentis, item Roderici

Gomeſii

Gomesii ap. eund. l. VI. pag 383. & apud Gramondum lib. XVIII. Orationem eorum, qvi Ludovico XIII. Galliarum Regi expeditionem Mantuanam dissvadebant. Aliqvando etiam Ordines Regni ad Concordiam hortandi sunt, qvò conducent illa in Liviô l III. *Discordia Ordinum venenum est hujus Vrbis (Reipubl.) it: Læti hostes dùm Discordiis attinemur.* Tac. *Externis Victoriis aliena, civilibus nostra consumere didicimus.* Idem. *Qvoties concordes agunt, spernitur hostis ubi dissensére, dùm sibi qvisq; contra æmulos subsidium vocat, accitus in partem, adversum omnes valescit.* Idem. Consuli præterea in hac materiâ potest Oratio Micipsæ Regis in Sallustii Jugurthâ: item Seniorum Romanorum, tùm & Legatorum ad Plebem in causâ Decemviratûs ap. Liv. lib. III.

*Consultationes* qvoq; de belli gerendi rationibus haberi consvevêre. Ad qvas accessuro non obfuerit legisse ac meminisse, qvæ L. Æmilius Paulus apud Liv. lib. XLIV. ad milites perorat. Jtem T. Qvintius lib. XXXIV. & Appius Claudius lib. V. *Si unqvàm dubitatum est Qvirites.* Aliqvando de Conscientiarum libertate materies incidit, ad qvam nihil meliùs adferri potest, qvàm illud Stephani Regis tritum qvidem, sed dignum, qvod nulla unqvàm oblivio

ex animis hominum deleat: *Deum tria sibi reservâsse: Scire futura, ex nihilo aliqvid facere, & conscientiis imperare.* Hùc qvadrat qvoq; illud ex Lactantio: *Qvis imponat mihi necessitatem vel credendi qvod nolim, vel qvod velim, non credendi?* Et ejusdem alterum istud: *Nihil tàm voluntarium qvàm Religio, in qvâ si animus aversus est, jàm sublata, jàm nulla est.* De eâdem Conscientiarum Libertate multa eximiè differit Vir Romano-Catholicus Petrus Matthæus in Henrici IV. Historiâ septennali l. II. mihi p. 203. editionis minoris. Plurima qvoq; ad id argumentum utilia habet Magnus Thuanus in præfatione operis sui historici. Sed Matthæi dissertatio digna mihi videtur, qvam & ex gallicô vertam, & qvantumvis fusiorem, hùc apponam. Ità verò ille: *Optandum eqvidem esset non nisi unum Religionis exercitium inter mortales haberi. Nam in Vnitate Veritas est, qvæ ipsa una, sicut & Deus unus est, & summè unus. Et hæc unitas, ut Trismegistus ait, est radix & principium rerum omnium. Sed nempè torrens (dissidiorum) iste non potest sisti, & schisma hoc jam vigorem suum & robur assumsit, qvia malum inveteratum est. Deindè Deo competit Ecclesiam repurgare vel restaurare, non minùs qvàm eandem condere. Oportet igitur, ut intra metas humanæ potestatis stemus homines, & triumphum victoriamq; animarum sapientiæ relinqvamus æternæ, qvæ sola potest reformare & recoquere corda ad placitum suum, qvæq; tot animis deviis ac palantibus signum tollit in viam salutis redeundi. Cæ-*

*De libertate Conscientiarum.*

di. Cæterùm humanæ potestatis non est imponere necessitatis legem iis rebus, quas Deus sui juris esse voluit, ut sunt Conscientiæ: quæ adeò perindè ut cogitationes, in Politiâ liberæ esse debent. Ecclesia hæreses semper detestata est, sed Iudiciorum rigorem nunquàm nisi in Hæresiarchas exercuit, idq; etiam tùm tantùm, cùm eorum in errore patuit pertinacia. Ità ut illa rationibus invicta suæ esset opinionis mancipium. Et pœnæ quibus Ecclesia usa est, magis ignominiosæ, quam crudeles, magis salubres, quàm mortiferæ fuerunt. Ac nempè eos pudore potiùs, quàm sanguine fusò rubere maluit. Theodosius Imperator graves constituit pœnas, sed eas nunquam exercuit. Maluit subditos suos ad concordiam Religionis & rerum divinarum, per æquitatem, quàm per vim; metu & amore potiùs, quàm supplicijs & immanitate attrahere. Etiam quatuor Concilia non aliis eos armis oppugnârunt, quàm quæ ex verbò divinò petita essent. Nec enim Nicææ trecentorum Episcoporum Conventus aliter cum Ario; nec centum & quinquaginta Patres Constantinopoli cum Macedoniò, nec ducenti Ephesi cum Nestorio, nec sexcenti triginta Chalcedone cum Eutyche egerunt. Nempè senserunt illi Hæresin esse obstinationem animæ, quæ non est subjecta tormentis corpus jugulantibus, quod supplicia magis aperiant sectas, quàm suffocent, quodq; mortis pœna Hæreticis inflicta in id, nè sectatores invenirent, incidit sæpè in animos tàm immobiles & mori paratos, ut morte suâ plures sibi asseclas unâ horâ reddant, quàm viventes vix fecissent decenniò. Constantia illorum, qui Constantiensis Concilii decretò ignis supplicium subierunt, & novissima eorum verba admirationem adstantibus movêre, & hodiè usq; illa asservantur recoluntarq;, non secus atq; aliqua Sibyllæ folia. Christiani ipsi primis nascentis Ecclesiæ seculis

culis quantis execrationibus, quantis afflictionibus fuerunt obnoxii? Nonnè Impostorum infamabantur titulis? nonnè aëris injuriæ, sterilitates annorum, eluviones fluminum, & terræ motûs ipsis imputabantur? Adrianus posteà Religionis causâ conqviri eos noluit. Antoninus Successor ejus vivicomburiô plecti jussit eorum Accusatores. Postqvàm Diocletiani & Maximini persecutiones irritæ & sine fructu esse, atq; ex cineribus unius cremati hominis centum alii resurgere totô Imperiô animadversi sunt, Successores istorum Cæsarum verum esse agnovêre, Reges non ut corporibus sic animis imperare, & fidem non posse imparari: neq; convenire veritati cum coactione, neq; Iustitiæ cum Crudelitate, & nihil esse tàm voluntarium qvàm Religionem. Pagani Principes tolerârunt Christianos. Decius armorum & Legum gloriâ inter magnos Principes numerari meruisset, si in Christianos fuisset moderatior. Christiani Principes pariter tolerârunt Paganos, neq; videmus Paganismum ab illis usqvàm punitum fuisse. Honorius & Theodosius, etsi promovendæ suæ Religionis zelô arderent, tamen Paganos per vim ad Christianam fidem converti noluêre, quin imò Iudicibus & Præfectis Provinciarum interdixêre, nè turbarent illos, dùm qvieti, & in obsequiô legum viverent. Iudæi etsi irreconciliabiles inimici Ethnicorum, & Deorum, qvos Ethnici colerent, multitudinis, magnâ tamen securitate inter Græcos, Parthos, Medos, Elamitas, Mesopotamios habitârunt. Neq; Romanô Imperiô ejecti sunt, qvin imò semper Synagogas istic suas habuêre, præcipuè sub Nervâ & Antoninô Imperatoribus. In Galliâ qvoq; tranqvillè vixêre, & postea indè non propter Religionem, sed propter usuras & immania facinora ejecti sunt. Certum est itaq; Principes prudentes nunqvàm morti adjudicâsse subditos, ut fidei ipsos adjungerent, nunqvàm

bello

*bello deſtruxiſſe Provincias, qvò Conſcientias gladio inſtruerent. Agnovêre potiùs Religionem eſſe unionis & Concordiæ opus, bellum verò non conſtare niſi ſeditionibus & everſionibus Regnorum. Vndè adeò illi etiam, qvi noſtrô ſeculô Cœlum terræ miſcuerunt, ut ſubditos ſuos ſub ejusdem Religionis obſeqvium redigerent; deſtitêre tandem ab inceptô, repudiaruntq; Conſilium illorum Medicorum, qvi in qvôlibet morbô curando antimonium adhibendum, & venas ſecandas putavêre.* Hactenus P. Matthæus.

Qvod ſi contingat aliqvando capite ſuô Remp. privari, tùm verò ut conventûs plurimi, ità varia in publicô diſſerendi freqventior campus eſt. Tali enim tempore fieri ſæpè ſolet, qvod Auguſtô deficiente Romæ: *Aderat*, inqvit Tacitus, *finis, & ſpes novæ; pauci Bona libertatis in caſſum diſſerere, plures bellum paveſcere, alii cupere, pars multò maxima imminentes Dominos variis rumoribus differebant.* Tùm de ſecuritate publicâ ſermo haberi ſolet, *nè rerum tranſitûs novis hoſtium conatibus fiant opportuni.* Solet qvoq; agi de Legum veterum correctione, ſtabilitione, vel, ſi qvæ violatæ ſint, reſtitutione in integrum. Qvâ occaſione multæ liberiores cenſuræ nonnunqvam audiuntur. *Hoc eſſe tempus, qvo Aqvilæ Sarmaticæ ſenectus, redditâ qvaſi juventute, revireſcere poſſit. In manu jàm civium poſitum, ægrum Reip. corpus â vitioſâ humorum liberare ſaburrâ, & vulneribus, ſi qvæ illata ſint, medicinam*

*medicinam afferre. Legum optimas, & præcipua libertatis jura interregnorum partum esse*, & similia. Servire hùc qvoq; qveat qvod Galba apud Tacitum I. histor. ait: *Vtilissimus ac brevissimus bonarum malarumve rerum delectus est, cogitare qvid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris.* Tac. I. Hist.

De Legibus non mutandis Vid. Savedram in symb. XXI. mihi pag. 163. & Stradam l. V. mihi p. 243. Sed ibidem alia qvoq; Oratio mox additur de iisdem Legibus ad præsentium temporum usum flectendis. Qvò pertinent illa ex Tacito: *Non omnia apud priores meliora.* Et: *quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit.*

De Electione novi Capitis cùm fiunt verba, plerùmq; ostendi solet, qvàm felix sit Resp. *qvæ non unius familiæ hæreditas sit*, ut Galba ap. Tacitum de Romanâ loqvitur. *Optimam esse publicæ rei consulendi rationem, si imperaturus omnibus eligatur ex omnibus.* Plin. in Paneg. Si ex defuncti Principis stirpe eligendus qvis videatur, servient illa: *Minori discrimine sumi Principem, qvàm qværi.* Non abludunt verò ab hôc argumentô, qvæ apud Curtium lib. X. Perdiccas, & post eum alii, mortuô Alexandrô, super constituendô Successore, qvæ item Clodius Albinus ap Iulium Capitolinum disserunt, tùm & qvæ Barclajus in

in Argenidos lib I. sub nominibus Anaximandri, Lycogenis, Dunalbii, Nicopompi in utrāq; partem disputat. Postqvàm suffragia in unum qvempiam Regni Candidatū consensêre, tùm destinantur aliqui, qvi nomine Nobilitatis deferant Imperium Candidato. Hùc aliqvo modo qvadrare videtur Oratio Leonini, nomine Belgarum, Regi Galliæ Provinciarum fœderatarum Imperium deferentis; sed sunt in eâ qvædam nimis submissa & abjecta, nec nisi summè periclitanti Reip. conveniunt. Oratio autem illa extat in Reidano l. IV. p. 64. Exstat item ap. Stradam. dec. II. lib. 5. Solent deindè, Candidati qvoq; nomine, pro Electione gratiæ agi Ordinibus Reip. Id qvod in novissimâ Regis Casimiri electione splendidissimô sermone fecit Illustriss: Comes Bogusłaus Lescinius Regni nunc Ærariô Prȩfectus. Hùc qvoq; qvadantenᵘ pertinet Alenzonii Principis Galli Oratio, qvam Antverpiæ habuit, cùm Ordinibus fœderatis pro commissâ sibi rerum summâ gratias ageret. Extat verò illa apud Reidanum de rebus Belgicis sub initium lib. III.

Postea in Coronatione, magnificâ plerumq; Oratione Princeps â Nobilitate excipi solet. Ubi

explicari consvevit, qvantus electo Regi à Deô contigerit honos, sed qvantum simul etiam onus. Hùc facere possunt illa ex Seneca: *Omnium somnos Regis vigilantia defendit; Omnium otium illius labor. Omnium delicias ejus industria, omnium vacationem illius occupatio.* Sed simul qvoq; Fiducia exponitur: qvam habeant cives de Principe: *Fore nempè illum patriô in subditos affectu, uti ipsum non tàm supra se, qvàm pro se esse sentiant. Ita ad illum, tanqvàm ad clarum & beneficum sidus certatim advolaturos (cives,) objicere se pro illô mucronibus insidiantiũ paratissimos &c.* Qvæ verba ex Senecæ libro de Clem. depromta olim J. Lipsius explicanda sibi sumsit, cùm illum Albertus & Isabella Austriaci in magnô Procerum conventu audire publicè voluêre. Deniq; vota adduntur, & perpetuæ prosperitatis comprecationes. Qvam ad rem servire possunt illa ex Plinii Paneg. *Te, ô summum Numen, precor, ut beneficiis tuis faveas, tantisq; addas muneribus perpetuitatem.* Item ex Sen. ad Polybium ista, sed cum judiciô correcta, atq; ad rem aacommodata: *Dii illum, Deæq; omnes terris diù commodent, &c. Abstine ab hoc manus tuas fortuna, nec in isto potentiam tuam nisi eâ parte qvâ prodes, ostende.* Item antiqvum Votum: *Augusto felicior, melior Trajanô.*

CAPUT XVI.

POrrò ad Legationes qvoq; identidem nobiliora

biliora ingenia adhiberi solent. Qvibus ad tam arduum munus ritè suo tempore prę parā dis expediet legisse brevem dissertatiunculā Barclaji, qvæ extat lib. V. Argen: hoc initio: *Nullam suorum negotiorum partem cautiùs exigebat Meleander, qvam delectum eorum, qvibus ad exteros Reges aut populos legationem concrederet, reputans illos venarum instar esse, qvæ pro suo habitu occultam salutis aut morbi vim ex diverso tractu terrarum inspirarent in patriam, &c.* Sed cum extent de Legatorum officio libri singulari curā â Chokiero & Marselario scripti, ii præcipuè cum curâ, ubi res reqviret, evolvendi erunt. *Materiæ Legationum.*

Materiæ verò Legationum variæ sunt. Illis qvippe contestationes Benevolentiæ aliis Principibus deferri moris est, tùm & de fœdere novo ineundo, vel veteri confirmandô, auxiliô vel poscendô vel ferendô, de Matrimoniô, Pace tractandâ, aliqvando verò de Injuriis expostulandis, rebusq; repetendis, aliisq; id genus agi solet. Ad qvæ omnia ex historiis multa utilia maturè seponi possunt. Auxilium petunt Campani à Senatu Rom. ap. Livium l. VIII. item Samnites ab Hannibale adversus Romanos lib XXII. Petitio Pacis extat apud eundem Livium lib. XXX. ubi Annibal Scipionem ad pacem invitat, & apud Curt. l. IV.

ubi Darii Legati cum Alex. M. de pace tractant. Tractationem Pacis si qvis disertè lateq; descriptam legere velit, legat Baudii librum de Induciis belli Belgici, ubi multa pro Pace & contra Pacem ineundam afferuntur. Vide potissimum pag 62. lib. prim: edit. anni 1629., ubi contra pacem differitur. Pro pace verò pag. 70. & seqq. Svasio fœderis ineundi extat ap. Livium l. XLI., ubi Xenarchus societatem cum Perseô Rege ineundā esse disserit. De fœdere violatô expostulat cum Feciale Romanorum Cl. Pontius Samnis ap. Liv. lib. IX. Item Q. Martius cum Perseô Rege lib. LXII. Et Hiero Rex Syracusanus in suppl. Livianis. Cl. Freinshemii l. VII. mihi p. 237. Expostulatorias Legationes Reginæ Angliæ ad Ordines Belgii fœderatos, & vicissìm, vide in Reidano l. VI. & l. VII.

Sæpè etiam Legatî in id mittuntur, ut inter Principes vel Statûs dissidentes gratia & amicitia stabiliatur. Sic Stephanus Rex Poloniæ olim Christoph. Closkovium ad Ordines Belgicos, illos cum Rege suô reconciliandi causâ allegavit. Qvâ de re vide Stradam l. VIII. mihi p. 457. Sigismundus qvoq; III. ad eosdem misit.

Sed

Sed eam Legationem ut ingratam tum Ordinibus acerbiore stylo persequitur Reidanus l. XIV. mihi p. 372. & seqq.

Verùm quis omnes in publicô dicendi materias exhauriat? cùm rerum vices & negotiorum publicorum varietates propè infinitæ sint, & de singulis ferè loquendi potestatem, occasionem, imò & necessitatem sæpè faciat nobili viro ratio Reip., in quâ ordo Equestris ad maximas & intimas consultationes, deq; publicis rebus disceptationes admittitur vocaturq;.

CAPUT XVII. *Cautiones in allegando.*

IN his autem, quæ attulimus, sunt quædam, quæ verbis iisdem vernaculæ Orationi, si emphatica & acuta sunt, inseri possunt, alia si inseri vel non possunt, vel non merentur, occasionem tamen campumq; dabunt ad meditandum ea, quæ ad rem præsentem accommodata videantur. Illud porrò non necesse esse puto monere, quod quemq; judicium & experientia suô tempore satis docebit, sententiarum, quæ in Autoribus placent, non omnia verba, uti in Autore habentur, religiosè servanda, inq; publicum afferenda omnia esse. Demi enim atq; etiam mutari aliquid potest, prout res nata postulaverit. Nonnunquàm magis

*Autores publicè non allegandi.*

magis alludere ad istiusmodi dicta Autorum, qvàm allegare ea convenit. Autores qvoq; ipsi non sunt facilè nominandi publicè, qvia ea res scholam nimium sapere, atq; apud nonnullos cavillum incurrere solet. Sed, ut dixi, arena ipsa optima hîc cuiq; dicendi Magistra erit, & antequàm in eam ipse descendat, audire alios in publicâ Regni palæstrâ probatos, legere etiam Virorum in Rep. clarorum epistolas & sermones, (qvi magnâ curiositate in Poloniâ à diligentibus conqviri colligiq; solent,) expendere eosdem cum curâ, atq; ad eorum se exemplar decorâ æmulatione componere, si rectè sibi consulere volet, debebit.

*Orationes & Epistolæ magnorum in Rep. Civium diligenter legendæ.*

CAPUT XVIII.

*Variæ rationes acuendi judicii, & condiendi sermonis.*

NOn autem ad Orationes tantùm in publicô habendas accingere se Nobilem oportet. Ea qvoq; subsidia maturè sibi comparare debet, qvæ in qvôvis congressu, inq; omni civili cum aliis & negotiô & consvetudine gratiam existimationemq; ipsi conciliare possunt. Qvam ad rem non Prudentiâ tantùm & Judicii sagacitate, neq; Comitate modò, qvâdamq; svavitate morum opus est, sed reqviritur simul, ut sermones suos aptis condimentis cuivis meliori palato attemperare discat futurus Politicus.

Politicus. *Judicii autem limandi occasiones,* tum & orationis condimentorum segetem ipse qvidem usus benè natis Ingeniis suppeditat, & ex convictu freqventioriq; cum viris dignitate & doctrinâ insignibus consvetudine, multa utilia & rara hauriri possunt. Et ista cùm a talibus capiuntur, fortiùs plerumq; penetrant, penitiusq; insident animis capacibus. Cùm ea porrò in congressu aliquò in usum adducuntur, longè magis aures ac corda audientium arrigunt, qvàm qvæ ex libro qvalicunq; depromta afferuntur. Memini sanè ipse, me præsente, attentissimè, nec sine singulari animorum motu auditos esse viros generosos, cùm Radzivillíorum, Zbarasciorum, Zamosciorum, Lesciniorum, Coniecpolsciorum, similiumq; in Rep. celebrium Heroum dicta & Judicia privatim aliqvando à se audita, concinnè & tempestivè allegarent. Eò major felicitas judicanda est eorum, qvibus in ejusmodi, sapientiâ, experientiâ, honoribusq; eminentium Virorum interiorem necessitudinem datur pertingere: ubi scilicet & judicium & sermones & actiones suas formare discant. Eò etiâ solicitiùs nobilium Adolescentũ Parentibus atq;

*Conversatio & usus ipse optimus Magister.*

Edu-

Educatorib⁹ huc enitendū est, ut qvę publicę lucis capacia esse senserint ingenia, iis illustris ejusmodi & sapientis contubernii ac consvetudinis celebrioris copiam atq; usum concilient. Considerari hanc in rem meretur prudentissimi Historici Philippi Cominei judicium, qvi Ludovico XI. Galliar. Regi *plurimùm profuisse* ait, *qvod deserto Patre, apud Philippum Burgundiæ Ducem sex annis vixisset: neq; illum ex tot difficultatibus emersurum fuisse existimat, si in Galliâ, more solito, fuisset educatus.* Huc qvoq; spectat Virgilius, cum Pallanta ab Evandro Patre ita Æneæ commendatum refert:

— — *Sub te tolerare magistro*
*Militiam, & grave Martis opus; tua cernere facta*
*Adsvescat, primis & Te miretur ab annis.*

CAPUT XIX.

SEd si qvis de vitæ politicæ ornamentis tempestivè cogitare incipiat, potest lectio qvoq; bonorū Autorum multa ad eam rem pertinentia suggerere. Hùc autem qvadrant præcipuè, qvæ brevia sunt, & simul acuta, nervosa, atq; insigni aliquâ elegantiâ conspicua. Brevia, ut memoriâ comprehendi, & ubi occasio est, sine labore atq; hæsitatione reddi possint. Acuta atq; insigniter pulchra esse oportet, qvò & judicium legentis acuant, & animos afficiant

ciant audientium. Qvod efficere vulgaria & trita neqveunt. Præcipuè autem hùc præter sententias nervosas, de qvibus antè satis dictum, conducunt *Adagia*, non vernacula tantùm, qvalia in Lingvâ Polonicâ utili labore collegit explicuitq; Cnapius; sed & gentium aliarum, qvalia in singulis ferè lingvis exstant. Utinam aliquis præcipua & selectissima qvæq; ex omnibus aut certè præcipuis lingvis, ac potissimùm ea, qvæ pluribus nationibus communia sunt, in unum Volumen colligeret! Conducunt qvoq; hùc *Apophthegmata* ex iis, qvæ Erasmus, & post eum Lycosthenes, Beyerlingius aliiq; collegêre, selecta. Et utilem eâ in re operam navavit Gerardus Tuningius, qvi præstantioribus Græcis Latinisq;, Italica, Gallica, Hispanica addidit: multa egregia istìc complexus, multa etiam utilia iis, qvi Lingvarum illarum peritiâ tantum valent, ut intelligere ea, tantum & judiciô, ut aptè applicare, & scenæ accommodare possint. Addere his expediet Æliani historiam variam, Attica Bellaria Pontani, & Epidorpidas Casp. Ens. Plurimum porrò ad rem, qvam nùnc agimus, conferunt *Similitudines*, qvales multas ex Cicerone, Plutarchô,

*Adagia.*

*Apophthegmata.*

*similia.*

tarchô, Senecâ, Pliniô, aliisq; Autoribus collegêre boni Autores, inprimis autem Erasmus & Lycosthenes. Nos qvoq; hos secuti, similia non pauca, aut talium saltem materiam infrà in Politicâ naturali, etsi obiter, & aliud qvasi agentes, dabimus. Sed nonnunqvam integras similitudines adducere tædiosum aut ineptum, commodè verò atq; eleganter ad eas allusisse perdecorum fuerit. Ut, si de aliquô Generoso Juvene dicere velis, eum non refugere aspectum hominum & lucem publicam, possis simili hoc exprimere. Sicut Aqvilæ genuina proles solem inconnivis oculis intueri potest: sic iste nullam celebritatis lucem reformidat.

*Allusiones.* Sed per *Allusionem* breviùs hoc expediveris, ita scilicet: Nullum publici solis fulgorem reformidat generosus iste aqvilæ pullus. Ejusmodi allusiones ad Mythologiam etiam aliqvam veterem, vel Ritum, vel Historiam, cum fiunt aptè, multum cuilibet sermoni gratiæ & Veneris addunt. Ut, si seditionem perdomitam dicere volens dicas: Cessit tandem Hydra ista Jovi nostro: Item, si de belli alicujus periculosi initiis loqvens nobilis dicat: *Transimus Rubiconem.*

Com-

Commendant etiam sermonem scriptionemq; *Paronomasiæ* elegantes & appositæ; ut, si cum Alphonso dicas: *Fœnus est funus animæ:* Et cum Lipsiô: *Qvò magis lata, eò magis læta erit epistola*: Item: *Tu vide, ride, & Satyram pro nostrâ Satyrâ contra saturos istos scribe:* Item: *Laudet potiùs, qvam lædat.* Item: *Sine crimine discrimen.* Item: *Patior, ut potiar. Minimum decet libere, cui nimium licet. Ego rumorem parvi facio, dùm sit, rumen qvî impleam. Sub luce lues:* qvod â stellione ad adulatorem transfert magnus Savedra symbolo 48. Ornant qvoq; *Oxymora*, ut in illo. *Paronomasiæ.* *Oxymora.*

*Nescire velle, qvæ Magister optimus*
*Nescire nos vult, erudita inscitia est.* Et in istô:
*Gratia, qvæ tarda est, ingrata est.*

Cum qvô convenit illud Augustini. *Deus meliùs scitur nesciendô.*

## Caput XX.

*Elogia.*

INter alias verò poliendi judicii qvasi limas, Sermonumq; civilium elegantias non minùs locum invenient *Elogia*, seu brevia & acuta judicia de viris, qvi seu togâ, seu sagô id assecuti sunt, ut crebra de iis mentio in colloqviis conseffibusq; fiat. Nam ob id ipsum qvòd freqventer in ore esse solent, tantò crebrior occasio offertur proferendi id, qvod de qvôq; singulare sciveris. De Catone Majore Livii hoc judicium est: *In hôc virô tanta vis animi & ingenii*

*nii inerat, ut qvocunq; locô natus esset, sibi ipse fortunam facturus videretur.* De altero Catone ita Sallustius: *Esse, qvàm vïderi bonus malebat: ità qvò minùs gloriam petebat, eò magis assequebatur.* Hujus Catonis mores prolixiùs paulò sed eleganter describit Lucanus:

— *Hi mores, hæc tunc immota Catonis*
*Secta fuit, servare modum, finemq; tenere,*
*Naturamq; sequi, Patriæq; impendere vitam,*
*Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo. &c.*

Paulò post:

*Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti.*

De Pompejô Magno Sallustius: *Oris probi, animô inverecundus.* Qvod de ore probo ait, qvò rectiùs intelligi possit, addere lubet illud Senecæ Ep. II. *Nihil, inqvit, mollius erat ore Pompeji:* alterum de animo invereundo illustrius fit testimoniô Taciti, qvi de illô ait: *Occultior Pompejus, non melior.* De eôdem memorabile est, qvod Seneca l. V. de Beneficiis habet: *Pompejus*, inqvit, *Populum Romanum eò redegit, ut salvus esse non posset, nisi beneficiô servitutis.* De Syllâ idem Seneca: *Patriam durioribus remediis, qvàm pericula erant, sanavit.* De Mariô Paterculus: *Vir qvantùm optimus bellô, tantum pace pessimus.*

Potissimùm verò de præcipuis Imperatoribus notanda sunt, qvæ apud Autores occurrunt, judicia, ut, qvod de Juliô Cæsare Livius dixit,

dixit, allegante Sen. Nat. Qvæst. l. V. *In incerto est, utrum eum magis nasci Reip. profuerit, an non nasci*, & qvod de eodem Gyraldus: *Vnus mihi cæteros & pugnando & scribendo vicisse videtur Cæsar.* De Augusto vulgatum illud est: *Aut nunqvàm debuit nasci, aut nunqvam mori.* De ejusdem Clementiâ eleganter Seneca: *Dare illum pœnas apparebat, cùm exigeret.* De Tiberiô tritum est illud, ex nomine leviter immutato: *Biberius Caldius Mero.* Et qvod recentiorum qvispiam: *Nunqvàm magis hostis, qvàm cùm blandus*: De eodem antiqvus aliqvis apud Svetonj:

*Aurea mutâsti Saturni secula, Cæsar,*
*Incolumi nam Te ferrea semper erunt.*

De Cajo Cæsare Svetonius acutè judicat, *nec servum meliorem ullum, nec deteriorem Dominum fuisse.* De eôdem Sen. Consol. ad Helviam: *Hunc mihi videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet, qvid summa vitia in summâ fortunâ possent:* Et idem alibi: *Sub Cajô in eum statum res decidêre, ut inter misericordiæ opera haberetur occidi.* De Claudio mater Antonia judicare solebat: *Non absolutum à Naturâ, sed tantùm inchoatum esse.* De eodem recens Autor: *Omnia in imperiô habuit, præter Imperium.* Seneca in Apocolocyntosi: *Annos LXIV. cum animâ luctatus est.* De eôdem Ausonius: *Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.*

De

Svidas. De Nerone Præceptor Chæremon dicere solitus est: *Lutum illud sangvine maceratum.* De eôdem Poëta Gallus:

*Te celebrare potest, ô Cæsaris ultima proles,*
*& scelus & vitium qvi celebrare potest.*

Et recentior qvidam de eôdem: *Matri occisæ Romam fecit rogum.*

De Galbâ Tacitus: *Alienô Imperiô felicior, qvàm suô.* Et: *Medium ei ingenium, & magis extra vitia, qvàm cum virtutibus.* Et: *Pecuniæ alienæ non appetens, suæ parcus, publicæ avarus.*

De Othone Ausonius:

— *Qvi morte decorâ*
*Hoc solùm fecit nobile qvod periit.*

De Vitellio Tacitus: *Ventre & gulâ sibi ipsi hostis.* Idem. *Amicitias dùm magnitudine munerum, non constantiâ morum retinere vult, meruit magis, qvàm habuit.*

De Vespasianô Tacitus: *Solus Principum in melius mutatus.* Idem: *Prorsùs si avaritia abesset, antiqvis Ducibus par.* Eutropius de eôdem: *Nullius cæde unqvàm lætatus justis etiam supplicijs ingemuit.*

De Tito tritum est, qvod *Deliciæ generis humani sit* appellatus. *Tito*, ait Tacitus, *Ingenium qvantæcunq; fortunæ capax, decor oris cum qvâdam Majestate.*

De Domitiano Iuvene Tacitus: *qvod stupris & adulteriis filium Principis egerit.* Et: *infestus virtutibus Princeps.* Et idem alibi: *qvod ex paternâ fortunâ licentiam lau-*

*am tantùm usurpaverit.* De eôdem Plinius in Paneg: *Nunqvàm ex solitudine suâ prodibat, nisi ut solitudinẽ faceret.*

De Nervâ Plinius in Paneg: *Ruebat Imperium super Imperatorem.* De eôdem recentior aliqvis: *Enervis Nerva.* De eôdem Tacitus: *Nerva Cæsar res olim dissociabiles miscuit, Principatum & Libertatem.*

De Trajano vetus acclamatio est pro elogiô, qvod & ante allegavimus: *Felicior Augusto, melior Trajano.* De eodem Florus: *Sub Trajano Principe movet lacertos Resp., & præter spem omnium senectus Imperii, qvasi redditâ Iuventute, revirescit.* Eundẽ Constantinº M. *Parietariam* dicere solebat qvòd ubiq; nomẽ ipsiº publicis operibª inscriptũ cerneretur.

Ad hoc exemplar de reliqvis qvoq; Principibus annotari debent, si qvæ in lectione Autorum occurrunt, judicia brevia & acuta. Neq; intra antiqvorum Elogia standum est, sed de posterioribus qvoq; similia colligere expedit: ut, qvod Otho I. Imperator *Amor mundi*, Tertius, *Miraculum mundi* dictus.

*Elogia Principum recentiorum.*

De Carolo V. Imp. nota Thuani testimonium: *In eô*, inqvit, *Principe cum Virtute certavit fortuna, ut meritis illius supremum felicitatis fastigium imponeret.* Idem: *Nullum perfecti magis & ad omnem virtutem expressi Principis exemplar nostrâ & retrò seculorum memoriâ reperiri posse arbitror.* De eodem Glaserus:

Hexos

*Heros incomparabilis & priscis Imperatoribus laudatissimis adnumerandus.* Ità colligenda similiter Elogia & Judicia sunt de aliis Regibus, Principibus & Magnatibus celebrioribus. Ut, de Henrico IV. Galliarum Rege Parisiis in Palatio Richeliano extat tale Elogium: *Galliam ab Hispanis & perduellibus usurpatam Galliæ sibiq; dextrâ & ferrô restituit, Phœnix exqvisitus, ingentium virtutum odoribus immortuus, & è cineribus datô successore redivivus, unus omnium admiranda inchoare potuit, unum, qvi consummavit, reliquit.*

De Ludovico XIII. Filio Henrici ibidem: *Iustus, pius, felix, terrâ mariq; victor, Europæ arbiter, consumtâ sectarum rebellium excetrâ, domitis perduellibus, amplificato Imperiô, summotis ultrà Rhenum & Padum Franciæ hostibus, defensis sociis, retextâ aulicarum factionum, qvæ turbas in Regno ciebant, telâ, duo ad cumulum gloriæ, in cogitatione prima, in opere ultima, Christiani orbis Pacem, & populorum levamentum, qvæ speramus, respirat.*

De ipso Cardinale Richelio ibidem: *Tot exantlatis, qvos universus orbis audiit, laboribus, hoc unum præstitisse sibi visus est, qvod summâ rerum à Domino suo sibi concreditâ, tanti Regis mentem ingeniô assecutus, secundante cœlô, forti animo feliciter executus est.* De eodem Cardinale habentur alia qvoq;, tàm vivo, qvàm mortuo, & tàm ad laudem illi, qvàm probrum ejus scripta, omnia tamen acuta. Sed nè longior sim, hìc inserere ea nolo.

Elegans

Elegans Gvilielmi Principis Orangii Elogium per comparationem cum Duce Egmontiô extat in Famianô Strada, qvod etsi paulò prolixius, inseram tamen ideò ut ad similia in Autoribus observanda excitem Juventutem: *Dec. I. l. 3.*

*Erat Egmontius ingeniô hilari, explicato, sibiq; præsidente, tristi Orangius, inobservabili, vitabundo. In hôc solertiam ubiq; laudares: fidem in illô sæpiùs reperires. Dux belli melior, qvàm Senator; Ajax ille: hic Vlysses domi pugnacior consiliô, qvàm foris manu. Provisor alter anxius, inq; futura semper animô præcurrens, eòq; adversùs repentina nunqvàm improtectus: alter plerumq; curis vacuus, nisi instantibus; ad subita tamen magis imparatus, qvàm aut impromtus, aut impar. Plus ab alterô sperares, ab alterô plus timeres. amicumq; tibi Egmontium malles: Orangium magis inimicum nolles. Et ne qvâ in re convenirent, vultu erat Egmontius perqvàm pulchrô, validis membris, aspectu pleno dignitatis: alter ore gracili, colore fuscô, capite recalvô. Summus tamen uterq; Populo habebatur: sed illum homines amabant, hunc colebant.*

Similis, nec acumine inferior comparatio inter duos celebres belli per Poloniam Duces, Hotkevicium & Zolkievium, extat in Historiâ Johannis Innocentii Petricii, Viri sanè eximii, & majorem verè laudem, qvàm habet, merentis. *His*, inqvit, *Genus, ætas, opes, propè æqvalia fuêre: magnitudo factorum par, ambo bellis Moschoviticis; Hotkevicius plùs Livonicis Svecicisq;, floruêre. Indè Militiæ utriq; magna scientia, sed usus alii alius. Hotkevicius subitus*

*bitus consiliis, sed eventu felix erat, cautior, quàm promtior habebatur Zolkievius. Ille bella manu & armis componere, alter Sapientiâ & Consiliô, gaudebat. Hotkevicius despiciendo pericula, agendo, laborando, famam extendebat: Zolkievius fortunæ moderando post captos bellô Moschorum Imperatores, partam gloriam intactumq; nomen quietè observabat. Alius nil ob formidinem recusabat, alius nil ob jactationem appetebat. Alterius temeritatem audacia in fortitudinem emendabat: alterius providentiam cunctatio in metum corrumpebat: Zolkievius æquus, misericors, & sæpiùs exorabilis: Hotkievicius gravis, intentus, severus, & malis injucundus. Cæterùm in utrôq; nihilo minor erat pro gloriâ vitæ contemtus, par cura publicæ salutis; eadem erga Regem fides, & pro Rep. fatum: ut, quantum his aliisq; virtutibus gemini, tantum in officiorum administratione ab omnibus pares magis, quàm similes haberentur.*

Cùm ista legimus, in memoriam redimus comparationis Cæsaris cum Catone, quæ ap. Sallustium in Catilinâ reperitur, tùm illarum quibus Germanicum cum Alexandro M., Mucianum cum Vespasiano confert Tacitus.

*Annal. II. 73. Histor. II. 5.*

Non inelegans quoq; (ut in propositô elogiorum argumentô pergamus) ejusdem Petricii judicium est de Johanne Zamoscio, quod *in Comitiis sapientum* extat: *Nil minor omnibus*, inqvit ille, *Ioannes Zamoscius est, tàm in Romanorum Senatu describendo, quàm in suô gerendo gravis, sapiens, innocens, sanctus, sic studia amplexus ut pauperes solent, sic doctos, ut divites debent, addictis quoq; literis in suâ Vrbe tectis Laribusq;, quod vix soli*

*soli faciunt Reges.* De eodem Piccartus in observ. Dec XII. 8. Polit. *Vir in tantum laudandus, in qvantum virtus & doctrina intelligi potest.*

CAPUT XXI. *Elogia Eruditorum Virorum.*

SEd qvia Eruditorum qvoq; Virorum in politiorum hominum consessibus crebra mentio incidit, de illis, præsertim celebrioribus, & qvi Eruditionis Principatum suo seculô tenuêre, aliquid singulare observâsse pariter expediet. Multum enim afficiet animos, qvi de moribus illorum & vitâ opportunè referre qvid poterit. Qvâ in re multum qvemlibet juvabunt libri de vitis illustrium Scriptorum à Petro Crinito, Jovio, Melchiore Adami, Vossio, & aliis compositi. De iis, qvi superiori ævô claruêre, verissima judicia operi suo innexuit vir magnus & veritatis studiosissimus Thuanus. Historicis potioribus qvę J. Lipsius nobilis Criticus & Politicus dat testimonia, qvia prostant, & in vulgus ferè nota sunt, tantô turpius fuerit ea ignorare. Sed qvia Nobilibus minus temporis ad perlegendos illos Autores, qvi vitas scripsêre, suppetit, eorum præcipuos Magistri illorum evolvere debent, qvô hinc selectissima qvæq; & qvasi meliorem succum Discipulis insinuare possint. Aliqua etiam Elogia Ora-

torum lectio suppeditabit. Ex. gr. in Heinsii Orationibus occurrit Elogium Plutarchi, qvem ille alicubi ità laudat: *Qvi*, inqvit, *compendium eruditionis, Prudentiæ thesaurus, Antiqvitatum utriusq; gentis qvidam Delius Apollo videtur.* Galenum idem appellat *Mare eruditionis, Oceanum disciplinarum, omnium ingenuarum artium promumcondum, & qvasi Bibliothecam qvandam.* Hieronymus (nè Ecclesiæ etiam sidera prorsùs omittamus) ab eôdem Heinsio vocatur *magnum ac incomparabile columen Ecclesiæ, ac decus.* Chrysostomus, *Svada ac medulla sacræ Eloqventiæ, qvi, ut amnis qvidam summô è monte provolutus, ore immenso decurrit.* Qvia verò facilius memoriæ inhærent, qvæ numeris ligata sunt, utile erit brevia Epigrammata de viris istis eruditis in promtu habere, sive ea sepulchris, sive Iconibus inscripta, sive aliô modô laudi eorum dicata sint, ut *Ex. gr.* illud

De Laurentiô Vallâ.

*Juppiter hunc cœli dignatus honore fuisset,*
*Censorem lingvæ sed timet ille suæ.*

De Erasmo Roterodamo:

*Ingens ingentem qvem personat orbis Erasmum,*
*Hæc tibi dimidium parva tabella refert.*
*At cur non totum, mirari desine, Lector,*
*Integra nam totum terra nec ipsa capit.*

De

De eodem alibi hoc scriptum memini:

*Fatalis series nobis invidit Erasmum,*
*At Desiderium tollere non potuit.*

De Gvilielmô Budæô, qvi eximium de Asse librum edidit:

*Qvod sibi vix multô multi peperêre labore,*
*Uno Budæus comparat Asse sibi.*

Cui affine est, qvod nos aliqvando in Cl. Salmasii librum de Usuris scripsimus, qvod pace invidiæ adjicere licebit,

*Grandior à Phœbô sors, qvàm tibi, credita nulli est:*
*Majorem Usuram te qvoq; nemo dedit.*

De eodẽ porrò Budæô olìm aliqvis ita bveviter:

*Gallia qvod græca est, qvod Græcia barbara non est,*
*Utraq; Budæo debet utrumq; suo.*

In Elogiis dùm versamur, non prætereunda qvoq; nobis putamus illa, qvæ de Urbibus celebrioribus extant, ut *ex. gr.* qvod de Urbe Venetâ olìm Sannazarius scripsit, ut elegantiâ suâ, ita præmiô luculento nobilitatum Epigramma (sexcentis enim aureis pensatum est à Senatu Veneto.) Lubet id autem subjicere, qviâ Juvenibus, qvibus ista scribimus, nondùm forsàn lectum est, viris alioqvin notissimum:

*Viderat*

*Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis*
*Stare urbem, & totô ponere jura mari:*
*Nunc mihi Tarpejas qvantumvis, Juppiter, arces*
*Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.*
*Si pelago Tybrim præfers, urbem adspice utramq;,*
*Illam homines dices, hanc posuisse Deos.*

Talia autem urbium Elogia à Jul. Scalig. aliisq; composita Libri Itinerarii, & meliùs ipsa deniq; itinera seu peregrinationes ad loca extera susceptæ nobili Iuveni suppeditabunt.

Epigrammatum, qvæ datâ Occasione jàm adduximus, svavitas alliciet opinor Elegantiarum studiosum, ut alia qvoq;, etsi nullum in iis Elogium contineatur, judicii acuendi, animiq; tàm sui, qvàm alieni delectandi causâ, legere, ac si brevia atq; elegantia sunt, memoriæ qvoq;, si ea felicior adest, mandare non dedignetur. Qvalia nonnulla ex Martiali, plura ex Oveno, graviora ex Bauhusio, Sarbieviô, Bidermanno aliisq; ejusmodi peti possunt. Ut ex Martiali de Fannio illud:

*Hostem cùm fugeret, se Fannius ipse peremit:*
*Hic, rogo, non furor est, ne moriare, mori?*

De Piscibus sculptis:

*Artis Phidiacæ toreuma clarum*
*Pisces adspicis, adde aqvam, natabunt.*

Item

Item ad Priſcum:

*Vxorem qvare locupletem ducere nolim*
*Qværitis? Uxori nubere nolo meæ.*
*Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito,*
*Non aliter fiunt fœmina virq; pares.*

Ex Oveno ſint pro Exemplo illa:

*Scaliger annoſi correxit ſecula mundi:*
*O qvis qvi mores corrigat, alter erit?*

Ad Germanicum:

*Mitto tibi Carmen, Germanice, muneris inſtar:*
*Mitte mihi munus, Carminis inſtar erit.*

*Obiter aliqvid de Anagrammatibus.*

Venit mihi jam in mentem alia literata elegantia, qvæ tamen forsàn aliqvibus primâ fronte nimis ſcholaſtica, minusq; adeò Illuſtribus ingeniis digna credetur. Mihi verò non prorsùs videtur ſpernenda. Luſus eſt, ſed ingenioſus, & qvi gratiam invenire ſolet, ſi ex venâ non infelice provenerit. Loqvor autem de *Anagrammatum luſu.* His eqvidem efficiendis nolim ego nobilia ſe dare ingenia, ſed elegantiora aliqva ab aliis inventa meminiſſe nihil profectò cuiqvam obfuerit, imò hìnc qvoq; ſvave familiarium ſermonum condimentum peti poteſt. Sunt autem qvædam ex prænomine, aut etiam cognomine ſolô petita:

Ut:

Ut: *Emanuel* Levamen. *Sigismundus*, Dignus Musis, *Mauritius* Mars vivit, *Cicero* Cor cie, *Ferdinandus* Dura findens. *Ladislaus* Das villas, *Casimirus* Mars civis, *Senatus* tu sanes.

Alia ex utroq; nomine, qvæ eò præstantiora, qvò magis ad personam, cui scribuntur, qvadrant, ut: *Carolus Magnus*: cumulans agros, *Boleslaus Crivoustus*: O ut bello acris visus! *Joannes Casimirus*: O sine armis vincas! *Stanislaus Coniecpolius*: Is cinctus Poloniæ salus. *Stanislaus Lubomierscius*, is notus ausis Mars bellicus. *Samuel Lescinius* Celsis lumen Avis. *Thomas Samoscius*, Musas hastis como, &: hastas Musis como; qvod â plurimùm Reverendo & tàm literis qvàm dignitate illustri Viro *Gregorio Borastô* compositum tantò elegantius est, qvòd ad stemma Illustrium Samosciorum, eorundemq; in literas favorem apprimè qvadrat.

CAPUT XXII. *Symbola.*

REstant duo ad acuendum ingenium, & ad elegantiorem doctrinam perqvàm utilia minimeq; adeò nobis prætereunda, *Symbola & Emblemata.* Nunc enim ista distingvo, etsi non ignarus sum, facile ex Symbolo fieri Emblema, cùm dicto alicui brevi & acuto imago additur: pariter etiam ex Emblemate Symbo-

Symbolum, si qvis picturam unà cum epigraphe seu Lemmate suô ad exprimendum aliqvem sensum, consilium vel factum, seu suum, seu alterius adhibeat. Illustribus autem Iuvenibus venanda notandaq; sunt illa maximè Symbola, qvæ à summis Viris profecta noverunt. Tantò enim plus & ipsorum animos afficient, & aliorum pariter, apud qvos mentionem eorum fecerint. Edidit autem jàm pridem Nicolaus Reusnerus vir Clarissimus symbola Imperatorum Romanorum omnium, eademq; luculentissimo commentariô illustravit: Sic ut liber is Ethices, ferè & Politices illustre qvoddam Compendium sit, nobiliq; adeò juventuti meritò commendatus esse debeat. Circa Symbola qvoq; laudabilem atq; utilem operam navavit Petra-sancta. Olìm in Galliâ in Historicum Charronium incidi, qvi Regum Gallicorũ Symbola Historię suæ operi intexuit: qvorum aliqva satis concinna sunt, ut Clodovei: *Incendo qvod adoravi, adoro qvod incendi.* Clotarii II: *Mens immota manet.* Cui Lemmati alius posterior autor Emblema additurus, molendini rotam addit, aqvis versam, axe rotæ immotâ manente, Clotarii III: *Regis otium servi negotium.* Dago-

berti: *Qvies inqvies.* Pipini Brevis: *Deus se tibi, tu te Deo.* Caroli Magni: *Gratia Dei id sum, qvod sum.* Notabile qvoq; Symbolum est, qvod Rex, primum Scotiæ, at posteà totius Magnæ Britanniæ, Jacobus VI. Uraniburgi Anno 1590. reliquit manu sua:

*— Est nobilis ira Leonis*
*Parcere subjectis, & debellare superbos.*

Item illud Henrici VIII. Angliæ Regis: *Cui adhæreo, præest:* alludens scilicet ad illud, qvod jàm dudùm Politici observârunt, Galliam & Hispaniam esse qvasi lances in Europâ, Angliam verò lingulam seu libripendem; ut annotat Cambdenus sub anno 1577. mihi p. 285.

CAPUT XXIII. *Emblemata.*

EMblemata autem tantò magis afficere, & demulcere nobilia ingenia solent, qvòd non animo tantùm svavem meditandi curam, sed & oculis lustrandi voluptatem objiciunt. In iis verò effingendis, si qvæ unqvàm, nostra profectò ætas plurimùm desudavit: & ut multis in rebus aliis apicem, ità in hâc qvoq; videtur attigisse. Habentur Emblemata Alciati, Paradini, Sambuci, Adriani Iunii, Camerarii, Schönhovii, Boxtorfii, Hesii aliorumq;, qvos enumerare non attinet. Pulchra qvoq; sunt

qvæ

qvæ ex porticu regiâ Parisiensi collegit Ioannes Gvisius, edita superioribus annis Lutetiæ. Sed omnium gloriam hoc in genere superavit ac propè extinxit illustris Savedræ labor, qvi centum Emblematibus, additisq; insuper commentariis totam ferè disciplinam Politicam complexus est. Ità jàm hoc inprimis curæ nobilis adolescentis relictum videtur, uti illa à tàm diversis ingeniis edita Emblemata in ordinem aliqvem, & sub certa qvasi signa locorum communium redigat. Et nisi alii commodiores tituli adsunt, suppleat interìm locum Politica Lipsii, qvam ubi familiarem discenti nobili Magister fecerit, Emblemata illa variorū Autorum percurrat, & qvæ melioris notæ fuerint, in chartâ singulis paginis interfertâ adjiciat.

Possem plura de ejusmodi elegantiis & qvasi lautitiis literariis hùc accumulare, sed nimium jam vereor, nè eorum, qui ista legunt, convitium, saltem tacitum, ideò dudùm incurrerim, qvod circa flosculos eruditionis ità operosus sim, solidæ autem sapientiæ frugem negligam, aut nimis differam proponere. Ego verò deliciarum seu condimentorum istorum ἀποθήκας semel ingressus, abire indè non ante volui, qvàm

singulas qvasi capsulas seu ληκύθους excussissem. Specimina qvoquè singulis istis, qvasi gustûs capiendi causâ, adjeci: qvò nimirum facilius percipiatur qvid velim, & levior labor fit seqvendi atq; imitandi præeuntem. Ordinem in istis non tàm nostra præcepta, qvàm suum cuiq; docenti judicium monstrabit: cujus prudentiæ incumbet, omnia ista ætati & captui suorum discipulorum attemperare. Nos sanè ea hic tradidimus, qvorum usus non adolescentibus tantùm, sed adultioris qvoq; ætatis juvenibus, atq; etiam peregrinantibus convenit.

CAPUT XXIV. *Solidioris sapientiæ præcepta.*

CÆterùm prorsus fateor & constanter asservo, dùm condimenta ejusmodi venatur sectaturq; juventus nobilis, non esse ei negligendum solidæ sapientiæ cibum. Qvid enim aromata prosint, nisi sit, qvod illa condiant? Qvorsum phaleræ, tapetes, nisi habeas cui insterni qveant? Solidæ autem sapientiæ fundamenta haud sanè alibi qværenda sunt, qvàm in Philosophiæ officinà. Qvæ cùm partìm in disciplinis contemplativis, partìm in practicis consistat, has eqvidèm posteriores nobili juventuti præ alteris illis convenire, & nos antè diximus, & apud omnes in

in confesso est. Sed nec illæ facilè ulli, cui ingenium natura, opes & commoditatem fortuna dederit, negligendæ sunt. Aliqvæ tamen, ut, qvod res est, fateamur, spinosiores sunt, qvam ut magnoperè coli debeant ab iis, qvibus in conficiendo studiorum curriculo festinandum est. Qvalis præcipuè est *Metaphysica disciplina*, circa summa rerum genera versans, atq; ita, qvantùm abstractionum subtilitate in altum evolans, tantùm animum humanum ab operationibus vitæ utilioribus avocans, adeoq; otio literario se deditâ operâ addicentibus, qvàm functiones civiles administraturis aptior. Ex Metaphysicis qvorundam Magistrorum culpâ in *Logicam* qvoq; non parum defluxit obscuritatis. Undè adeò lento, prolixo & morosô qvodam præceptorum tractu ea ars in scholis haut paucis docetur, utilissima alioqvin & planè necessaria cuilibet sapientiæ alumno. Ab eâ enim Inventionis artificium, ab eâ ratiocinandi dexteritas, ab eâ vera probandi, falsa refellendi, item ordinandi suas cogitationes, alienas resolvendi methodus dependet. Qvibus rebus, in benè natis ingeniis multum eqvidem subindè naturalis solertia suômet

*Metaphysica an utilis Nobilibus.*

*Logica.*

suômet Marte potest, sic ut qvidam viri logicorum præceptorum ignari insitô lumine suô exercitatissimis identidem satisfacere cum admiratione omnium possint. Sed & istis, qvantumvis naturâ acutis, multum astruxisset disciplina: & qvi Logicam artificialem naturali addidit, potest illis alteris terminorum artis, ceu Gorgonei capitis objectu sæpè os occludere aut pudorem excutere. Qvare omninò compendium aliqvod Logicum ediscendum etiam Nobili est, nè, si qvando cum eruditis eruditè loqui aut differere res postulet, terminis artis, veluti novis qvibusdam monstris perterreatur, sed potissimùm etiam ideò, ut ipse modum habeat, fila & stamina inventionum, quibus ad texendum qvalemcunq; discursum opus est, ex se educendi, atq; ordine concinnô proferendi: tùm qvoq; ut de aliis, docere vel dicere aggredientibus, tantò aptiùs judicare possit. Compêdium verò tale vel ipse Magister dictabit, vel (id qvod malim) ex impressis aliqvod eliget; ut *ex. gr.* Scharffii, Bartholini, Molinæi, Keckermanni. Præcipuè autem regulæ & formæ syllogisticæ inculcentur diligenter, sed non minùs Topica qvoq; præcepta, ipsissimum scilicet inveniendi

veniendorum argumentorum in qvâvis re gazophylacium. Dare porrò Magister operam debet, ut qvàm maximè perspicua discenti præcepta reddat, ad naturale potissimùm rationis lumen omnia exponendô, tùm etiam exemplis qvàm familiarissimis terminos illos artis, ipsâ plerumq; re, qvam notant, obscuriores, illustrandô.

CAPUT XXV. *Naturalium rerum scientia.*

POst Logicam accedatur ad *scientiam rerum naturalium*: studium non minùs utile qvàm jucundum: si præsertìm scitè tractetur. Svavitatem certè summam habet per hoc universum circumferre oculos, lustrare rerum ortûs & causas, & naturæ animadvertere sympathias atq; antipathias. Neq; verò curiosis tantùm & speculationi vacantibus ingeniis talia accommodata esse credendum est. Sunt qvippe in Physicorum scriptis problemata & qvæstiones tàm amœnæ & svaves, ut qvemq; etiam nobilissimum trahere ac tenere genium possint. Magistris tantum incumbet ex Aristotelis problematibus â Septalio explicatis, ex theatro Naturæ Bodini, aliorumq; ejusmodi libris insigniorum faciliorumq; problematum facere delectum. Sed porrò ex universâ Phy-

sices

sices tractatione ad civile qvoq; studium luculentissimus manare fructus potest. Qvis nescit Macrocosmo seu naturæ rerum universæ, Microcosmum, hoc est, hominem mirificè respondere: adeoq; qvæ in illô cernuntur, observanturq; pulcherrimâ applicatione ad vitam & mores humanos traduci posse? Ex homine sanè ipso ejusq; structurâ non contemnenda Prudentiæ Politicæ præcepta elicuêre Autores nonnulli, & præ aliis Cl. Casp. Dornavius: qvanqvàm ab hoc qvoq; aliqvid adhuc industriæ aliorum relictum esse, si otium suppeteret, non esset difficile ostendere. Sed qvod in corpore humanô tentatum dixi, idem in cæterô Naturæ universæ systemate, cœlô, stellis, meteoris, plantis, animalibus, fieri posse nemo non videt. Et passìm etiam ab istis singulis rebus sumtæ similitudines in Autoribus optimis, sed sparsìm, & vagarum instar stellarum insertæ occurrunt. Qvi autem per singula rerum genera filô qvodam continuô operam eam deduxerit, neminem hactenùs vidi. Et opinor tamen hujusmodi laborem omnibus, ac præcipuè nobilibus, summè & utilem & gratum fore. Qvò autem, qvid velim, intelligatur rectiùs,

dabo

dabo παρέργως locô pauca, qvæ de facili se ingerent, (neq; enim rara tantùm hìc sectari res poscit, aut negotia mea nunc patiuntur) exempla, ex qvibus tamen haut difficulter cognoscetur, qvomodò eadem cura ultra hominis naturam extendi, atq; ad alia rerum naturalium genera applicari qveat.

CAPUT XXVI.

*Rerũ naturalium ad Politicã accommodatio specimini ergò tentatur.*

IN *Physicis* agi solet de Naturâ *Mundi*: & nempè antequam in partes ejus omnes curiositas scientiæ lese diffundat, qvid generatìm de hâc cœli terræq; fabrica cognoscendum sit, explicari. Hìc inter alia docetur, Mundum ex contrariis consistere, & ut Sen. Qvæst. Nat. l. VII. ait: *totam hujus Mundi concordiam ex discordibus constare:* Applica hoc ad Imperium seu Remp. Et id sanè ex Magistratu & subditis, Dominis & servis, rebus disparibus & qvodammodò contrariis consistit: sed ità, ut res istæ, qvæ contrariæ videntur, & sunt, vel sponte, vel vi coactæ in unam societatis compagem coalescant. Deindè eadem illa ex rebus discordibus concordia elucet tùm qvoq;, cùm diversarum Nationum, Lingvarum, sensuum, artium, studiorum homines intra unius civitatis mœnia, intra ejusdem Imperii fines, sub eo-

*De Mundo in genere.*

dem moderamine, sub iisdem legibus vivunt. Facit hùc, qvod apud Politicos legi: útile esse in eâdem Republ. non per omnia ingeniô & oratione similes, sed faciles & graves, comes & tristes, severos & lenes, Appios & Publicolas, Catones & Cæsares existere. Ut enim in fidibus si nervi omnes similem sonum ediderint, harmonia nulla, sed ex dissimillimarum vocum moderatione concentus congruens & concors efficitur: ità si ii, qvi ad consilia publica adhibentur, etsi cætera dispares, in rebus deliberandis tamen ità comparati sint, ut in eundem omnes scopum, publicum videlicet bonum colliment, longè certior clariorq; in rebus & consiliis veritas ex illâ dissimilitudine sententiarum, & velut concorde discordiâ emergit, qvàm si absq; ullâ varietate omnes idem sentiant. In Politici Florentini *Disputationibus de Rep.* totum caput qvartum libri primi occupatur in hoc solô demonstrandô: *Discordias, qvæ inter plebem & Senatum Romæ fuerunt, in causâ fuisse, ut ea Resp. libera simul & potens efficeretur.* Facit deniq; huc sententia Senecæ Ep. 95. *Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, qvæ casura, nisi invicem obstarent, hôc ipsô sustinetur.* Præterea ubi Physicus de

*Vid. Savedram in Symb. XXX. sub finem & in Symb. 61.*

de mundô agit, docere ſolet, primam mundi ex nihilô productam materiam confuſum qvoddam chaos, & rudem atq; indigeſtam fuiſſe molem. Ex talibus qvoq; principiis exiſtere ſolent Reſpublicæ. Ex prædonibus, & agreſtem feritatem ſpirantibus hominibus prima urbis Romanæ concrevêre rudimenta. Venetias profugi homines condiderunt, Barbarorum incurſionem, præſertim Attilæ, fugientes. Talia non pauca in doctrinâ Phyſicorum de Mundô generatim conſiderato inveneris, Reip. & Imperiorum inſtitutis apprimè qvadrantia: ſed iſta pro exemplo adduxiſſe ſufficiat.

Qvandò *Cœli* Naturam exponunt Phyſici, docêt inter alia cœlum & ſidera agere in res inferiores, & iſti defluvio magnos prorsùs effectûs tribuunt. Non minor Aulæ & Principum in ſubditorum tùm mores & fortunas efficacia eſt. De moribus notum illud: *Qvales in Republ. Principes ſunt, tales reliqui eſſe ſolent cives.* Cicero l. 1. Ep. 9. & qvod Vellejus habet: *Rectè facere ſuos Princeps faciendô docet.* *De Cœlo & ſideribus.*

— *Procerum motûs hæc cuncta ſeqvuntur,*
*Humanum paucis vivit genus.* —

Qvod ad fortunas attinet, eæ à Cœlo aulicô,

ut sic dicam, & Principis plerumq; voluntate dependent. Nero ap. Sen. lib. de Clement. non malè: *Qvalem qvisq; sortem statumq; habeat, in manu meâ positum est. Qvid cuiq; mortalium fortuna datum velit, meô ore pronunciat. Ex nostrô responsô lætitiæ causas populi urbesq; concipiunt.* Cœlum Aristoteles ab intelligentiis moveri statuit. Utinam ita Aulæ! Rectiùs sanè res in iis se haberent, prudentiorq; earum motus, ac forma esset constantior.

Cùm de *Sole* agunt naturalis scientiæ Autores, tradunt inter cætera, qvò altior is sit, eò illum minores umbras jacere; Sic Imperia, dùm intra prima incrementa luctantur, multæ vicinorum invidiæ subjacent; cùm ad fastigium emerserunt, supra invidiam sunt. Sol medio inter Planetas loco situs est, & ab eclypticâ nunqvàm deflectit;

— *Medium non deserit unqvam*
*Cœli Phœbus iter, radiis tamen omnia lustrat.* Claud:

Sic Princeps, in medio etiam ditionum suarum degens, longè remota gubernat ac moderatur. Ad lucis *Solaris reflexionem si qvæ objecta intueatur oculus*, (verba sunt Savedræ,) *jàm probè & distinctè videt, qvalia ea sint: at si in radios ipsos solares directè velit intendere, nimiâ luce sic perstringitur, ut colores rerum & figuras haud qvaqvam possit discernere: ita prorsùs ingeniis*

*iis accidit, qvæ sapientiæ & doctrinæ studiis impensiùs qvàm par est, sese dedunt, ad negotia publica minùs fiunt idoneæ.*

Sole terris lucescente stellæ non videntur: Sic Procerum autoritas præsentiâ Regis præumbratur offuscaturq; Sol æstate cùm urit maximè, tùm solent sequi tempestates: sic cùm in subditos crudelitas aut injustitia Principum sævit, tùm turbæ, seditiones, mutationes oriri consvevêre. Solis defectus magnas plerumq; calamitates mortalibus afferre solet: sic Principum errores. Soles cum plures apparent, prodigiosum & calamitatum imminentium præsagium est: ita cùm plura in imperio capita. Solis beneficia qvotidiana imò perpetua non solent ità observari, atq; eclipses ejusdem: ità in errores principum magis oculi omnium advertuntur, qvàm in virtutes, & rectè facta. Solis radii si in speculum curvum seu concavum, atq; inprimis chalybeum incidant, fiunt ignei & urunt obvia: ita si Principes ingeniis pravis, immoderatis, Martiis, se dedant nimiùm, consilia ignea, tumultûs, bella seqventur. Vid. Saved. symb. 76. Sol idem est pauperi & diviti, nobili & obscuro: ita Princeps benefacere & justitiam administrare debet tam imis,

imis, qvam summis. *Rex*, inqvit Aristoteles lib. V. polit. c. 10. *custos esse debet, ut nec opulenti injustum aliqvid patiantur, nec plebs contumeliam accipiat.* Sol sua habet solstitia & æqvinoctia, sic Imperia suas periodos, suas crescendi & decrescendi vices.

*Cometarum* qvoq; doctrina multas dabit occasiones ad egregia monita, ut v. *gr.* Cometæ stellæ magis videntur, qvàm sunt, aut si sunt (id enim jàm video à nonnullis statui) minores tamen sunt aliis stellis, præsertìm Planetis, etsi majores videntur: & qvalescunq; sint, semper Imperiis aliqvid sinistri minantur: Ità plerumq; homines, qvi ex humili locò subitò in altum evecti, fortunâ suâ corrumpuntur & insolescunt, aliisq; vetustò splendore claris se præferunt. In tales Sejanos vel (si ex recentiore Historiâ nomen mavis) Volséos lusit qvidam aliqvandò tali Epigrammate:

*Antiqvâ de stirpe viris te, Pontice, præfers,*
*Cùm sis ipse novæ conditionis homo:*
*Servorumq; gravem longò trahis ordine caudam,*
*Mente tumens, habitu splendidus, ore minax.*
*Sic noviter natò dirus rubet igne Cometes*
*Sanguineâ longum lampade syrma trahens.*

*Phosphorus*

*Phosphorus at contrà, vetus ille anteambulo Solis,*
*Haud grandi nitidam jactitat igne facem.*
*Lumen at inducit Phœbejum Phosphorus orbi,*
*Tu Regnis tenebras, dire Cometa, paris.*

Si de *Fulgure* agat Physices Magister, multa eximiæ prudentiæ scita animis Nobilium subjicere poterit, ut *ex gr.* Fulmina, mollibus illæsis res durissimas comminuunt: ita Principes cedentibus parcunt, superbos ac resistentes frangere ac pessundare solent. Fulmina montes & res excelsas petunt: ita Principum ira & suspicio Viros eminentes. Undè Tacitus: *Ex mediocritate fortunæ pauciora pericula sunt.* Contrà autem, *Sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magnâ famâ, qvàm ex malâ.* Ità alibi idem dicit: *Magnitudo famæ exitio erat.* Ita Calpurnius Piso periit, *nihil ausus,* inqvit Historicus, *sed nomen insigne, & decora ipsi Iuventa rumore vulgi celebrabantur.* Idem Autor Annal. XVI. C. Cassium & Silanum â Nerone subversos, *nullo crimine, nisi qvod Cassius opibus vetustis, & gravitate morum, Silanus claritudine generis & modesta juventa, præcellebant.* Fulgur plerumq; priùs emicat, qvàm comes ejus sonus audiatur: sic principes sæpè famam sui anteeunt, & feriunt priusquàm parare ictum audiantur, priùs damnant, qvàm faciant reos.

Neq;

De Elementis. Neq; minùs ex *Elementorum* etiam Doctrinâ elici possunt bona ad vitam documenta. Sunt *Ignes*, qvi aqvis accenduntur, ut apud Plinium videre est lib. 2. cap. 106: ita qvædam mala si exstinguere coneris, exasperantur. Sic sub Vitelliô ap. Tacitum cùm vagarentur per urbem milites, qvi sermones populi coërcerent, *id præcipuum*, inqvit Tacitus, *alimentum famæ erat*. Et alibi: *malè coërcitam famam supprimentes augebant*. Ità & Blæsus, *cùm qvosdam militum tumultuantium, terrendis cæteris, affici flagris, claudi carceribus jussisset, flagrantiorem inde vim fecit, & plures seditioni Duces dedit*, ut est ap. Tacitum Annal. I.

*Curando fieri qvædam pejora videmus*
*Vulnera, qvæ melius non tetigisse fuit.* Ovid.

Ignis qvò clarior fulsit, citiùs extingvitur: sic ingenia, qvò illustriora, eò breviora: sic & in Aulis sæpè, qvò qvis altiùs attollitur, eò paulò post lapsu graviore ruit. Ignes interris abscónditi nonnunqvam saluberrimas corporibus humanis aqvas effundunt: sic ingenia obscura & latentia optimos sæpè doctrinarũ fontes. *Vide infrà sub Violâ.* Ex scintillâ parvâ sæpè maximus ignis: sic ex tenuissimô principiô maximi nonnunqvam motûs. Hùc pertinet illud ex Panegyrico Pacati: *O qvàm parvis veniunt*

*veniunt sæpè mala principiis: sic in ultimum propè Italici generis excidium, effractô C. Lentuli ludo, myrmillonum agmen emicuit. Sic bella Consulibus ancipiti Marte pugnata Cilix Pirata conflavit: sic, tenentibus arma fugitivis, Romana diù pila cessére ferro ergastulorum.*

*Aëri* spiritualem doctrinam, fidem, & religionem non malè contuleris. Sine aëre vita constare non potest, qvæ ex respiratione præcipuè dependet: sic nec sine religione ulla Resp. Aër refrigerat, reficitq; spiritum hominis alioqvin torpidum futurum: sic religio hominem veris & perennibus solatiis erigit. Ut aërem qvisq; sanitatis amans purum qværit: ita religionem puram, qvisqvis saluti animæ studet. Ut aër infectus citò corpora: sic hæresis animas interimit. Aërem terreæ evaporationes & fuligines impurum reddunt: sic religionem curæ corporeæ, & voluptatum sagina. Aër corrumpitur, nisi ventis perfletur: sic religio, nisi vehementior & gravior aliqva calamitatū procella eam ventilet exerceatq;. Venti nascuntur impetu, qvem postea remittunt: sic sæpè in negotiis *initia aëria* sunt, *incuriosus finis.*

*Aqvæ* valles & loca humilia præcipuè rigant ità beneficia Principum modestis potissimùm, & supercilium minimè contra superiorem po-

testatem attollentibus contingunt. Aqvæ nisi pronô in inferiora delapsu propagentur, inutiles redduntur, & corrumpuntur: sic nisi ii, qvi beneficia Principum hauriunt, eadem ad alios inferiores porrò derivent, habentem corrumpunt, & ipsa verum suum usum amittunt. Qvâ de re vide Savedram symbolo 40. Fluvii qvò profundiores, eò minore strepitu feruntur: ità Ingenia qvò eruditiora, hoc modestiora. Fluvii, qvi jacentes in fundo lapides & sabulum ostendunt, nemini facilè sunt periculosi aut formidabiles: ita & Imperia, qvorum intima consilia patent. Aqva fluviorum ab exiguô plerumq; fonte initium ducit: ita Respublæ. ab exilibus primordiis. Hùc pertinet illud Senecæ l. III. de benef. c. 29. *Principia sua semper seqvens magnitudo obruit*, & qvod Ovidius canit:

*Nascitur exiguus, sed opes acqvirit eundô,*
*Qvaq; venit, multas accipit amnis aqvas.*
*Qvem taurum metuis, vitulum mulcere solebas,*
*Sub qvâ nunc recubas arbore, virga fuit.*

Sunt qvædam aqvæ in qvibus nihil innatat, omnia merguntur, ut de Side stagnô Indorum Plin. l. 31. C. 2. memorat: Ità qvidam homines arcana intimè recondere ac tegere norunt.

Sunt

Sunt verò etiam Aqvæ qvædam, in qvibus nihil animam habens mergitur, ut Asphaltites lacus Judææ: sic sunt Aulæ, in qvibus, modò prudentia adsit, tutò & benè vivi potest.

Oceano qvoq; Aulam non immeritò comparaveris. Plurima, imò immensa vis aqvarum in Oceano, sed eæ salsæ: ita in Aulâ beneficiorum atq; opum conqvirendarum modi plurimi, sed multum plerumq; habent Invidiæ, multum adversitatis. In Oceanô magnæ sæpè tempestates & magnæ vices: ac sæpè eôdem mari qvô luserunt navigia, merguntur; sic in Aula magnæ vicissitudines.

Fluxus & refluxus Oceani eodem referri potest: item qvod Plinius Iunior epistolâ ultima lib. IV. narrat de Agro Comensi, *ubi fons est statis auctionibus, diminutionibusq; crescens & decrescens: in qvô siccô si annulum ponas, alluitur sensim, ac novissimè operitur, detegiturq; rursùs, paulatimq; deseritur.* Talis fons est gratia Principum, qvæ modò attollit, modò deserit clientes suos: adeoq; *potentiam* istorū, ut *non suâ vi nixam*, valdè instabilē reddit. In summis Rhætorū alpibus lacus est, in qvem si lapidē injicias, statim nebula exoritur, & indè grando, narrāte Cecilio Frey in Admirandis Galliæ. Lacum

ejusmodi referunt divina mysteria, in qvæ si ingenium humanum (verè ad talia lapis, nisi singulariter illustretur) se immergat, solent multæ litium, nonnunqvàm & bellorum tempestates oriri.

Ad *Terram* cùm accedet Physices Magister hanc qvoq; in expromendis Vitæ præceptis, non sterilem reperiet. Terra comparata cum cæterâ universâ machinâ puncti instar est. Cur ergò de illâ adeò contendunt mortales, majorum ac meliorum incurioſi & qvasi obliti? Rectè Seneca de Terrâ: *Hoc est illud punctum, qvod inter tot gentes ferrò & igni dividitur.* & posteà: *Punctum est istud, in qvò navigatis, in qvo bellatis, in qvò Regna disponitis, Mortales.* Terra in mediò universi consistit, seu potiùs pendet, verum scilicet Mundi centrum. Pendet autem nullò nixa fulcrò, sed suò se pondere librat, partibus nempè ejus omnibus ad medium undiq; tendentibus, hincq; adeò mirâ qvâdam ἰσορροπίᾳ seu æqvilibriò sustinentibus totum. Refert hâc in parte terra liberam Remp., qvæ à nullò merè dependet, nisi à communi qvâdam civium omnium in medium, hoc est, publicum bonum, propensione, mutuòq; omnium, etsi

etsi ex diversis partibus, ad idem centrum raptu impulsuq;. Talem renisum, sed ad conservationem tamen Totius utilem, imò necessarium etiam, in Polonâ Republ. sentiunt illi, qvi, qvomodò in mixtô istô ex tribus Imperii formis ac generibus statu sese illa conservet, animum advertunt. Terra emissis è sinu suo vaporibus, nimborum ac tempestatum sibi procreatrix est: sic subditi sæpè ingeniis contumacibus, verbis factisq; insolentibus iras superiorum ac multa deniq; mala sibi accersunt. Terræ vapores tàm tenues subtilesq; sunt, ut in oculos non ante incurrant, qvàm ubi in nubes condensati sunt, & in imbres, procellas, grandines abeunt: ita pravorum consiliorum malorumq; publicorum causę atq; initia vix conspicua sunt, sed tempore sensim aucta, magno tandem cum motu, sæpè & periculo publicæ rei erumpunt. Montes terræ qvidam qvasi vertices sunt, sed ex iis nobilissimi fluvii nascuntur, qvi reliqvas terras irrigant: ità Principes summi sunt mortalium, & ab illorum benignitate fontes & rivi manant, qvibus subditæ gentes recreantur & efflorescunt.

Jam Terræmotum si consideres, is potis-

simùm

simum à concluſis ſub terrâ atq; exitum non invenientibus ventis oritur: pariter Regnorum concuſſiones perturbationesq; fiunt, ſi externa aliqva nec imbellis multitudo in viſcera Regni aut Reip. admiſſa arctè nimis ſtricteq; habeatur. Si enim illa vires ſuas circumſpicere cœperit, aut etiam nimiâ ſervitute ad deſperationem adigatur, dare turbas ſolet, & mutationes ingentes afferre Publico. Id qvod vel ex Populi Iſraëlitici in Ægyptô duram ſervitutem ſervientis hiſtoriâ ſatis liqvidò apparet. Poſſis qvoq; hæc, qvæ de terræmotu, eumq; cauſantib° ventis dixi, ad homines turbulentos referre, qvi ad arcana Conſiliorum admiſſi, ſi fortè alicubi ſuo arbitriô agere prohibeantur, vim non rarò cient, & totius Reipubl. aut Regni cardines, ſi potentes ſint, convellunt.

Cùm ſub terrâ ire placet Phyſico, iſtìnc qvoq; utilia vitæ monita hauriet. *Aurum* non minuitur igne, ſed fit purius & ſplendidius: ſic virtus per calamitates eniteſcit. Seneca: *Calamitas virtutis occaſio eſt. Illos meritò dixeris miſeros eſſe, qvi nimiâ felicitate torpeſcunt, qvos velut in mari lentò iners tranqvillitas detinet.* Sic Florus, *Romana*, inqvit, *virtutis magnitudo calamitatibus approbatur.* Aurum inter metalla minimè

nimè omnium riget: sic animi Principum generosorum ad Clementiam faciliùs aliis permoveri solent. *Magni animi proprium est*, ait Seneca, *placidum esse tranqvillumq́, & injurias atq́ offensiones supernè despicere. Muliebre est furere in irâ: ferarum verò, nec generosarum qvidèm, præmordere & urgere projectos.*

*Adamas* (ut ad gemmas veniamus) si frangi contingat, qvod haut facile fieri potest, in minutissimas partes dissilit, ità ut istæ oculis cerni vix qveant. Ita arctissima necessitudo, si dissiliat, in gravissimas inimicitias degenerat. Hùc pertinet illud ex Tac. 1. Ann. *Gener invisus, inimici soceri, qvæq́ apud concordes vincula charitatis, incitamenta irarum apud infensos erant.* Et l. IV. Hist: *Iulius Briganticus sorore Civilis genitus, ut fermè acerrima proximorum odia sunt, invisus avunculo infensusq́.*

*Chrysopraſium* gemmam lux celat, prodit obscuritas: ità multos egregios viros felicitatis serenum occulit, rerum adversarum obortа caligo in lucem producit, & illustres reddit.

*Hectora qvis nosset, si felix Troja fuisset?*

*Publica virtutis per mala facta via est.* Ovid.

*Hyacinthus* cœlũ seqvitur, sentit auras, ac cum cœlo facit mutationes, ut ait Solinus: sic à fortuna Principum subditorum gaudium & mœror, salus & pernicies dependet.

*Succinum*

*Succinum* (nam & hoc qvidam inter fossilia referunt) pulchrè nitens, sed fragilis res est; vim trahendi habens; attamen non nisi paleas trahit: ità Aulæ, ità & omnes ferè res mundanæ splendorem suum habent, trahuntq; corda mortalium; sed inprimis vana leviaq;.

Sed datis jam aliqvot ex fossilium Promtuariô speciminibus, ad *Plantas* qvoq; accedamus. Nam & hæ, si rectè adhibeantur multa non corpori tantùm, sed & animo salubria & civili vitæ utilia suppeditant. Primò qvidem si universè genus arborum consideres, ac aliquid indè ad rem politicam conducibile haurire velis, inter alia vel illud occurret: qvod, qvemadmodùm duæ arbores cùm nimiùm sibi vicinæ sunt, altera alteri officit, succumq; alimentarium intercipit: sic Imperia vicina pleraq; inter se æmula sunt, & sibi mutuò molesta, donec alterum eorum prævalescat, alterum submittat fasces. Ad omne qvoq; genº Arborum proceriorum densiorumq; referri potest, qvod Themistocles ad unum genº referebat, cùm se *Qvercui* comparabat, cujus tegumen aut umbram appeterent homines, si cœlum nimbosum, vel fervidum sit: cum eandem deindè

deindè, ubi ſuffugio ejusmodi opus non eſt, ſecuribus inpetere ſoleant. Ita nempè viri Magni in pretio ſunt, dùm ſunt neceſſarii, non item, ubi operâ eorum minùs ſeu privatim ſeu publicè indigemus. Arbores, qvæ ad primum veris teporem flores emittunt, facilè eundem amittunt, ubi aſperior aura illum afflaverit: ita conſilia feſtinata & præcalida rarò bonum habent exitum.

*Ficus* nunqvàm floret, nec arbores alias ſpeciosâ foliorum luxurie æqvat, ſed fructûs tamen ſvaviſſimos profert: ſic ingenia qvædam plus in receſſu habent, qvàm primâ fronte promittunt. Id qvod Erasmus ex occaſione Adagii: *Silenus Alcibiadis*, plurimis exemplis demonſtrat.

*Moly* herbam adverſum fraudes & illecebras Circes Vlyſſi à Mercurio datam Homerus ait: ita adverſus Aulæ illecebras verſutiasq; munire ſe debent qvi eò deſtinantur.

*Coralium* marinus frutex, dùm in aquâ manet, mollis eſt, ubi emerſit, indureſcit. De qvô Ovid: *Sic eſt Coralium, qvô primùm contigit auras*
*Tempore, dureſcit, mollis fuit herba ſub undis.*
Sic ingenia etiam optima in blandô matrum

sinu langvent, indè abstracta, & sub alium solem delata solidius robur acqvirunt. Qvâ de re facundè & eleganter differit Savedra in symbolo III. & in symb. 66.

*Arundo* ventorum violentiæ non resistit, sed inflectendo se obseqvitur, hocq; modo illæsa atq; integra manet: ita homo politicus, ut se conservet, tempori & fortunæ cedit.

*Ocymum* si molliter attrectes, svaviſſimi est odoris, si vehementjùs teratur, ingratum spirat: sic è subditis, si moderatè tractentur, plurimum emolumenti elicere Principes possunt, si nimis tributis atterantur, solent turbas dare. Pulchra est historia, qvam tali de re ex Justinianô Genuensi historicô refert Camerarius in Emblem. 83. & ex hoc Caussinus. Franciscus Marcio, inqvit, Jurisconsultus egregius, missus à Republicâ Genuensi Orator ad Ducem Mediolanensem, cùm is eum nollet dimittere, nec pactis conventis Genuensibus stare, captatâ occasione obtulit eidem Duci manipulum herbæ ocymi. Qvi admirabundus, qvid sibi hoc donum vellet, qvæsivit, qvid rei esset. Cui ille respondit, ejusmodi proprietatem huic plantæ inesse, ut leviter & svaviter contrectata præberet

præberet gratum odorem, nimis autem duriter compreſſa & attrita non ſolùm omnem ſvavitatem perderet, ſed etiam tandem Scorpios produceret. Habere ſe autem ingenia Genuenſium eôdem planè modô. Dux hôc ingeniosô admodum reſponſo plurimum delectatus, & ſententiam priorem mutavit, & Legatum honorificè dimiſit. Hùc pertinet illud Salomonis: *qvi nimis emungit, elicit ſangvinem.* Item alterum Tiberii: *Boni Paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.*

*Cupreſſus* funeſta, ac pompis mortalibus deſtinata arbor, blattas & tineas non fert, ſed necat potiùs: ſic invidiam mors extingvit, & ut Poëta ait,

— — *Livor poſt fata quieſcit.*

*Vivos interdùm fortuna, ſæpè invidia fatigat, ubi anima naturæ ceſſit demptis obtrectatoribus ipſa ſe magis magisq; extollit.* Salluſt.

*Tulipa* florum omnium pulcherrimus, uti & Lotus & Heliotropia qvędâ ad radios ſolares ſeſe expandunt, iis ſeu nocte ſeu tempeſtate ingruente ſubductis, claudunt comam: ſic Regna, prout Dei favor vel adeſt, vel deficit, ita vigent langventq;.

*Viola* humi repit, fragrantiſſimum tamen

simul & saluberrimum florem gignit: sic modestissima qvæq; ingenia utilissima. Sic & qvæ latent, præstantiora sæpè sunt aliis in ore famæ aut in luce honorum versantibus. Benè Plinius Iunior l. 7. Ep. 25: *O qvantum eruditorum aut modestia ipsorum, aut qvies operit & subtrahit famæ!* Qvod in Aulâ & Republ. qvoq; sæpè fieri, inter alios qveritur Savedra sub symb. 58. mihi p. 486.

*Rosarum* svavi odore scarabæi & cantharides offenduntur ac pereunt, uti & sues Amaraco: sic virtutē improbi ferre non possunt. Qvadrat hùc sententia Sulpitii Severi: *vitia virtutibus semper inimica fuerunt, & optimi qviq; ab improbis, tanquam exprobrantes adspiciuntur.*

*Vrtica* molliter tacta urit, non item fortiter apprehensa: sic mali quidam fortioribus remediis opus habent, lenibus insolescunt magis.

*Aconita* hieme florent, sic in bello & turbatis rebus mali homines plerumq; vigescunt. De talibus Tacitus: *privatim degeneres, in publicum exitiosi, nihil spei nisi per discordias habent.* Et alibi: *Othoni compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium.*

*Lolium* tum demum prehendit segetem, cum hæc jam altior est: sic nonnisi eminentem virtutem aut fortunam insectatur Invidia.

Talia multa colligere poterit Physices Magister

gister, qui libros de herbis speciatim scriptos volet inspicere. Ubi eqvidem minimè contentus esse debet præcepta generalia dedisse discipulis. Nam per ipsas istas singularum, aut certè præcipuarum herbarum proprietates insigniores deducere mentes curiosas plus utilitatis & jucunditatis habet.

Iam varia *Animantium* genera qvantam qvoq; pulcherrimorum monitorum farraginem suppeditare possunt? Copia ipsa me inopem hìc fecerit, si velim hunc campum ingredi; sed aliqva pariter delibasse sufficiet. Nam ad finem properare & scriptionis destinatæ, & temporis jam malignius suppetentis mod° postulat.

*Leo* apertis oculis nascitur, & quia parum dormit, tanquàm vigilantiæ symbolum domuum valvis affigi solet: sic Principes vigiles esse debent, & oculos in bonum publicum perspicaces gerere: *Omnium domos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omniũ vacationes illius occupatio*, ait Seneca ad Polybium. Leo saginam fugit, & si modum in vorando excesserit, vel insertis in guttur ungvibus ingesta retrahit, vel tantò diutiùs posteà abstinet, ut tradit de eô Aristoteles & ex eô Ionstonus in admiran-

admirandis: sic Principem nihil magis decet Temperantiâ. Leones & Elephantes transeunt qvæ impulerunt; de qvô Statius:

*Ut Leo Massyli cùm lux stetit obvia ferri,*
*Tunc iras tunc arma citat, si decidat hostis*
*Ire super satis est, vitamq; relinqvere victo.*

Sic Principes non insultant crudeliter, sed ignoscunt victis & supplicibus.

— *Ignoscere pulchrum*
*Iam misero, pœnæq; genus vidisse jacentem.* Claud.

Leones & Elephantes rariùs tardiùsq; nascuntur aliis animantibus: sic Viri & Principes magni. *Ex intervallo*, inqvit Seneca, *magna generantur. Mediocria & in turbam nascentia sæpè fortuna producit: eximia verò ipsâ raritate commendat.* Epist. 42. Leones feræ terribiles & magni animi, circumagentes se rotarum orbes metuunt: sic Principes meritò rotam fortunæ pertimescunt. *Cuncta mortalium incerta, & qvò plus adeptus sis, tantò magis in lubricô te esse censeas.* Tacitus. *Nihil tàm firmum est, cui periculum non sit ab invalido.* Et *Leo* ipse *aliqvando minimarum avium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit.* Curt.

*Elephantus* ferarum omnium maxima, & prudentiâ ad hominem proximè accedens lingvam habet perexilem, ut testatur Aristoteles,

les, & ex eô Cauſſinus in Hiſtoriâ parabili: ſic qvò fortior qviſq; , eò minùs verboſus. Contra *ignaviſſimus qviſq; , & in periculô non auſurus ; nimii Verbis , lingvæ feroces.* Tacitus 1. Hiſt. Elephantes amnibus impensè delectantur, haud temerè tamen eos ingrediuntur, cum inſcii ſint natandi: idem, in rebus divinis faciunt prudentes. Tingunt earum ſalubribus aqvis animum, non mergunt. Elephantes nunqvàm humi decumbunt, qvia propter magnitudinem corporis ægrè ſe erigerent: ſic Principes faſtigio ſuo affixi ſunt, nec tutum eſt illis deſcendere. Benè Seneca 1. de Clem. *Summa hæc magnitudinis ſervitus eſt, non poſſe fieri minorem.* Lipſ.

Qvædam animalia, ut Elephantes & Cameli, qvidam etiam Eqvi non bibunt niſi turbidam aqvam: ſic nonnullis hominibus maxima ex rixis turbisq; delectatio eſt. De qvibus paulò ante ex occaſione Aconitorum aliqvid dictum.

*Urſi* à venatore infeſtati vel læſi adeò efferantur, ut qvaſi furibundi in arbores incurrant, ſicq; ſe ipſos interimant: ſic ira nonnunqvàm & vindictæ cupiditas in exitium homines præcipitat. *Ira*, inqvit Seneca, *ut aliqvando perculit ſtravitq; obvia, ita ſæpiùs ſibi exitio eſt.* Id

qvoq;

qvoq; ibid. lib. 1. de Irâ exemplo Cimbrorum, Germanorum demonstratur.

*Eqvus* quò acrior, eò altiùs in bibendo nares mergit Plin. l. VIII. c. 49. sic ingenia quo meliora, eò minùs superficiariâ doctrinâ solent esse contenta, sed in profunda sapientiæ altiùs se immittunt.

*Boves* instante lupo coeunt, capita & cornua jungunt; illo abeunte qvisq; sibi pascit *Lipsi*: ita periculũ Reipubl. ab externo hoste vincit ligatq; civiũ alias in diversa euntium animos & consilia.

*Lynci*, qvamvis in fame mandenti, si respexerit, oblivionem cibi obrepere, idem Plinius affirmat, digressamq; qværere alium: ita homines qvidam præsentibus non contenti alia & incerta captant. *Cupiditati nihil satis est. Avaro tàm deest qvod habet, qvàm qvod non habet.*

*Panthera* svavitate odoris alia animalia allicit, undè & caput, qvò alioquìn terrentur, occultare solet: ita vitium inescat homines, turpitudine ejus sub initium non apparente; sed postea tantò terribilior ejus facies occurrat animis malè conscìis. Sic de matris interfectore Nerone Tacitus Ann. XIV. *A Cæsare perfectò demùm scelere magnitudo ejus intellecta est.* Similiter

ter etiam ſagax Principum, aliorumq; Politicorum calliditas alios ſpecioſis prætextibus in caſſes ſuos pellicere ſolet, *capite* conſiliorum, ſeu ipsâ interiore intentione graphicè occultatâ. Hæc enim ſi in aperto eſſet, in irritum irent omnes artium doloſarum & conſiliorum fabricæ.

Utilia præcepta etiam *Avium* natura ſuggeret. *Cygnos* canere non liquido prorſus Autorum conſenſu certum eſt. Qvi affirmant, Zephyris ſpirantibus eos teſtantur canere. Cygni erudita repræſentant ingenia, qvæ facunda & fœcunda facit favor Mæcenatum. Pulcherrima hâc de re Politiani epiſtola extat, quam, qvia paucorũ verborum eſt, lubet hîc ſubjicere: *Cygno Poëta ſimilis; vterq; candidus, vterq; canorus, vterq; fluvios amans, vterq; Phœbo gratus. Sed negatur canere Cygnus, niſi cùm Zephyrus ſpirat. Quid igitur mirum ſi tam diù taceo tuus Poëta, cum tu tam diù non ſpires meus Zephyrus? Vale.*

*Aquila* pullos ſuos ad ſolis ignem explorat: qvem qui inconnivis oculis aſpicere poſſunt, pro genuinis agnoſcuntur. Sic indolem filiorum Principes explorent, anteqvàm magnis rebus adhibeant. De Aquilâ lumen ſolare perferente elegantes ſunt apud Cauſſinum in hiſt. parab. verſus:

*Exploratores oculis qvi pertulit ignes,*
*Sustinuitq; acie nobiliore diem;*
*Nutritur volucrumq; potens & fulminis hæres,*
*Gesturus summo tela trisulca Jovi.*

Aquila cornicum infestantium strepitum contemnit: sic vir magnanimus obtrectatorum aut adversariorum imbellium voculas ac conatus. Pulchrè in hanc rem Lipsius in Ep. XVI. Cent. II. ad Belgas: *Aranearum telæ sunt omnes isti calumniarum contextûs, minuta animalia inhærent, fortiora spernunt, & perrumpunt.* Et Clariss. Heinsius in præfat. ad Silium: *Herculem placidè dormientem à Pygmæis circumventum ferunt, rursùsq; somnô excussum nullâ cum doloris significatione secum tulisse omnes, & pro pulice habuisse. Idem nobis accidit. Larvæ umbratiles sumus, Scaligeros, Turnebos stringimus: rident illi, & ut strepitum hunc & tinnitum ulsciscantur, tacent.*

*Struthio-Cameli* ferrum deglutire & concoquere possunt: tales Struthio-Camelos sæpè Aulicos & omnes eos, qvi sub iniqvis Dominatoribus sunt, esse necesse est. Multa qvippe illis durissima devoranda sunt.

*Grues* cautissimæ volucres sunt, nunqvam dormiunt, qvìn excubet una: quæ, cæteris capita sub alas recondentibus, erectô providet collo, & si opus est, excitat reliqvas. Sic in-

in Civitatibus & Caſtris opus eſt vigilantiâ. Duces ipſi & Magiſtratûs Epaminondam imitari debent, qvi comeſſantibus Civibus excubias & mœnia Civitatis circumibat: etiam Veſpaſianum, *qvi* ut Tacitus ait, *acer Militiæ, anteire agmen, locum caſtris capere, noctu diuq; conſilio, ac ſi res poſceret, manu hoſtibus obniti ſolebat.* In bellô qvidem qvam noxia ſecuritas ſit, multis exemplis doceri poſſet Marſos ſanè, Teutonicum populum, Cæſar Germanicus cædit, qvia, ut Tacitus ait, *cuncta incuriâ diſjecta erant, neq; belli timor, ac nè pax qvidem, niſi languida & ſoluta inter temulentos.*

Jam *Apis*, inſectorum volatilium princeps, qvot & qvàm inſignia nobis vitæ civilis documenta ſuppeditat? Apum Regi ampliſſimum cubile eſt. *Plinius*: Regias Imperatoribus futuris in imâ parte alvei exſtruunt amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminentes. Sic natura iſtis dictavit, Regem omni honore, atq; etiam domiciliô, cæterum gregem ſuperare debere. Mediô autem & tutiſſimo locô collocant Regem ſuum: ſic Principum commodiſſima ſedes in meditullio ditionis ſuæ; & ibi ſitas eſſe decet Urbes principes, undè in cætera regimen.

Regi apum forma semper egregia, & duplò qvàm cæteris major, in fronte macula qvôdam diademate candicans. *Plinius*: sic in Principibus forma etiam corporis non negligenda. Rex apum caret aculeô: *natura telum ei detraxit, & iram ejus inermem reliqvit*, ait Seneca: ita Principem nihil minùs qvàm ira decet, nihil magis qvàm clementia. Pulchra hìnc allusio Romæ ad Urbanum VIII. P. M. facta est, cujus Insigne tres Apes erant. Cùm enim illius Pontificis in æmulos Reges affectum variè Pasqvinus Romanus exagitâsset, noviſſimè tandem subjecit hoc Distichon:

*Cunctis mella dabit, sed nulli spicula figet,*
*Figere nam Princeps spicula nescit apum.*

Apes dùm caput suum Regem habent, concordes, ubi illud amissum est, dissipantur,

— *Rege incolumi mens omnibus una,*
*Amissô rupére fidem.* — Ità à Principum salute salus plerumq; Regnorũ & felicitas dependet: concordia certè sine illis haberi vix potest.

Benè de Romanô Imperiô ap. Tacitum l. I. hist. Galba: *Immensum Imperii corpus stare ac librari sine Rectore non potest.* & l. I. Ann. idem Historicus: *Discordantis Republicæ non aliud remedium, qvàm ut ab unô regatur.*

Api

Apî liceat ſubjicere diſſimillimum inſectum *Tineam.* Hanc parit & nutrit *Purpura*, & ab eâ etiam conſumitur: ſic potentia Principum parit alitq; adulatores, ſed in pernicíem ſuam.

Quod ſi *Aquatilium* qvoq; claſſes recenſere luberet, ingens iterùm copia bonorum monitorum nobis affluëret. Pauca aliqua delibabimus. *Balæna*, ingens monſtrum, oculis caligat, & vadis allideretur, niſi ſubindè Ducem parvum piſciculum ſequeretur: ſic multitudo ſeu populus grandis bellua eſt, niſi à prudente aliquô Duce regatur. *Vis Conſilî expers mole ruit ſuâ.* Camerarius diſtichô hoc expreſſit, quod leviter correctum lubet adjicere:

*Exiguô Balæna meat Ductore per undas:*
*Principe ſic felix plebs vigilante ſuô eſt.*

*Lucius* mordaciſſimus piſcis à Rana aliquando vincitur, quia hæc oculis illius inſilit, & pedibus divaricatis viſum ei eripit: quâ de re Dubravius in libellô de piſcibus, allegante Camerario: ſic parva potentia magnam perdomare poteſt, quando oculum conſilij auferre iſti poteſt.

Qvod autem de *Ranâ* hìc, idem de Aqvilâ qvoq; memoratur, qvòd ſcilicet cervum aggreſſura

gressura in pulvere se volutat, sicq; fronti ejus insidens oculis pulverem inspergit: ut ita cervus parum prospiciens, qvò feratur, & ubiq; offendens, præda tandem fiat victoris.

*Vitulus marinus* somniculosum animal est, adeò ut dormiens fluctûs marinos non sentiat, interìm eas inter res numeratur, qvæ à fulminum jactu sunt immunes, undè & ex pelle hujus Vituli cingulum gestabat Augustus Cæsar. Possit hoc non incommodè applicari ad homines segnis indolis, & nihil magni spirantes, aut etiam segnitiem ejusmodi sub Tyrannis simulantes. Sub talibus enim ex virtute summum periculum est: qvippe *qvibus* ut ait Sallustius, *boni qvàm mali suspectiores, semperq; aliena virtus formidolosa est:* sic ut ab illis *multi hâc maximè de causâ premantur, qvòd meliores viri sint, qvàm esse Tyrannis expediat*, ut ferè de Juliô Græcinô Seneca loqvitur. Sub his itaq; *inertia pro sapientiâ* habetur, & dissimulare vìgorem Indolis tutissimum est: sic enim fulmen vitatur, qvod alios excitatos, & magnis rebus pares visos percutere solet, qvia in ejusmodi regimine *nobilitas, opes, omissi gestiq; honores pro crimine; & non minus periculum ex magnâ famâ est, qvàm ex malâ*, ut est apud Tacitum.

Sva-

Svavitas argumenti qvadantenùs novi, certè hoc fine, ordine, modô, vix à qvoqvam, qvod sciam, tractati detinuit me in hâc Politicâ naturali diutiùs, qvàm initiô proposueram. Verùm cura hæc nostra tantum fortasse voluptatis legenti dabit, qvantum mihi scribenti dedit: nec ingratum erit, datum hic majoris opusculi velut subtemen accuratiori tractatione, si Deus voluerit, pertexere atq; excolere. Et potest istud studium ad rem qvoq; medicam extendi, ità ut qvæ istìc tùm ad sanitatem corporum, tùm ad morbos eorundem pertinentia traduntur, ad ἐυτοξίαν & morbos simul Rerump. accommodentur.

Postremò illud qvoq; (anteqvam â Physicâ abeam) monendum mihi est, si ullâ in disciplinâ, in hâc sanè naturali locum maximè habere illam, qvam hodie multi insignes viri in omnibus scientiis & Artibus magnopere urgent reqviruntq;, *Ocularem* demonstrationem. Et cum ad eam plerumq; nonnisi per multa impendia & impedimenta perveniatur, omnia hæc nemo faciliùs superare qvam nobilis aut illustris potest: qvippe cujus argento & fortunæ multa patent, qvæ aliis egentioribus sunt impervia.

impervia. Nobilis itaq; cùm plantarum, metallorum, animalium, aliarumvè substantiarum genera & naturas discere aggredietur, non difficulter reperiet ejusmodi commoditates, ubi, qvæ discit, præsens oculis lustrare, magnâ & utilitate, & voluptate suâ, qveat.

CAPUT XXVII. *Studium Ethicum.*

SEd pergo tandem ad *Ethicam*, cujus studium qvis ambigat dignissimum Nobili esse? cùm de virtute agat, in qvâ unâ illa, non titulis inanibus nixa, sed vera & sola nobilitas præcipuè consistit. Ethicam inter antiqvos nemo accuratiùs excoluit Aristotele. Adeoq; ex illô fundamenta istius disciplinæ haurienda erunt, prout illa Bartholinus, Golius, Keckermannus, indè hauserunt, & aut contraxerunt tantùm, aut veste paulò aliâ circumdederunt.

De omni autem genere virtutum non ex lege quidem methodi (neq; enim artem ex professo tradidit) magnô tamen spiritu, styliq; genere & splendidô admodùm & penetrante nervosôq; Seneca differuit, inde adeò nobilissimo quoq; ingenio dignissimus Autor est.

Nostrâ memoriâ elegans virtutum Enchiridion, Lipsij Politicam imitatus, Cl. Jonstonus dedit. Imaginem earundem virtutum nervosam,

sam, & aliqvid subinde cogitationi Lectoris relicturam dare ego in *Charactere Virtutum* volui, etsi forsan conatui parum respondit effectus. Si tamen Nobilium Magistro explicare eum libuerit, (uti eqvidem momenta istic rerum alia ex varijs Autoribus deprompta, aliqua & domi nata dilatari facile possunt,) Autorum sententias & testimonia, aliqua etiam exempla ex Historijs adjiciat. Cum eò pervenerit Nobilis, ut exoticas etiam lingvas intelligat, svaserim ut Michaëlis Montani, Viri Amplis. & doctissimi opera legat, optimi sanè succi plena. Maximè autem omnium id det operam Nobilis, ut virtutum præcepta non tantum animo imprimat, sed moribus etiam ac vitâ exprimat, ad affectuum scilicet moderationem, tùm ad opera generoso homine digna magis magisq; sese indies exercendo.

Ethicam seqvatur *OEconomica*, non eô, qvod meruerat, pretio æstimata disciplina: cùm nec civiles virtutes sine illâ rectè consistere possint. Nam primordia societatis civilis domûs sunt, ac nemo facilè in publico se rectè gesserit, qvi privatum Larem, ita ut par est, non nôrit moderari. Et certè non tot familiæ ad incitas redigeren- *OEconomica.*

digerentur, aut certè non tantô ære alienô obruerentur, neq; ad res utiles magnasq; gerendas nervum & instrumenta amitterent, si rei domesticæ cautiùs prospicere maturè Nobiles discerent. Non nescio equidem specioſa nomina jam pridèm indita esse luxuriæ & prodigentiæ juvenili: contra frugalitatem turpibus avaritiæ titulis traduci. Et morì vetustate inolito, inq; geniô qvodammodò liberæ & ad Magnificentiam propensissimæ Nationis fundamẽtum habenti, contraire perdifficile est, & contra nitendô nihil assequère, qvàm *ut pateat, qvibus malis impares simus.* Sed hoc tamen cuilibet nobili Juveni meritò inculcandum est, si aliqvid dandum sit consvetudini, & inprimis auræ popularì, qvam in istâ Republ. primi aularum negotiorumq; publicorum Candidati non debent prorsùs negligere, ut id tamen fiat consideratè, & cum aliquô semper ad rem familiarem respectu. Neq; enim onera semel contracta facile postea dissolvuntur; sed qvod intra prima juventutis spatia peccatur, totâ plerumq; vitâ luendum est. Omninò igitur eò dirigendi Juvenum animi sunt, ut, dùm virtutum moralium, dùm civilium semina hauriunt, Oeconomi-

conomicarum minimè omittant fundamenta. Nam etsi ad eas usu ut plurimum adsvescant homines, expedit tamen, ut cæterorum habituum, ita hujus qvoq; lineamenta animo, dùm mollis est, imprimi. Qvam ad rem utilia erunt Axiomata Oeconomica Richteri, præcepta item, qvæ Timplerus, Keckermannus, Alstedius Encyclopædiis suis inseruêre. Laudatur qvoq; in hâc materiâ Ludovici Septalii Medici Mediolanensis de re familiari libellus.

CAPUT XXIIX. *Politicæ artis studium.*

PRæcipuo autem studio Nobilibus in *Politicam* incumbendum est. Hic Rhodus, hic saltus ipsis erit. Hùc tanqvam ad scopum in hâc terrenâ Civitate omnia potissimùm dirigenda, maximè Nobilibus Polonis. Qvorum nemo tàm tenuis vel tàm obscurus est, qvin in conventibus publicis (qvi istìc freqventes) suffragium habeat liberum; qvin, si in Politicis sapiat aliqvid, ad honores, & ad qvævis munia possit emergere. Ad Politicam itaq; uti inprimis à tenero etiam ungve assvefaciendum Nobilem dicimus, ita ad eam, quicquid hactenùs præscripsimus, collimat: ut jam non multa nobis restent addenda. Nominavimus autem anteà, nec semel, Lipsij Politicam, eamq;

omninò familiarem juventuti nobili reddendam ſvaſimus. Sunt enim iſtic nervi Prudentiæ Politicæ, & nihil illo Catone vel doctius vel compoſitius eſt. Cui addi aut ſaltem ſubjungi Savedræ ſymbola ante allegata ſvadeo, qvibus vir ille nobiliſſimus dignam qvovis ſolio ideam Principis nuper dedit orbi. Cui non ſine opimo fructu addetur Theſaurus Politicorum Aphoriſmorum Joannis Chokieri. Sed porrò qvia Diſciplina hæc non caret controverſiis, opus eſt omninò addere pleniorem aliqvem Autorem, qvi iſtud Civilis Doctrinæ corpus integrè ſit complexus. Cujus farinæ ſunt præter ipſum Ariſtotelem, omnium aliorum Ducem, adeòq; omnibus præferendum, Tholoſanus, Caſus, Althuſius, Keckermannus, Alſtedius, Arniſæus, Kontzen, Vernulæus, Schönbornerus, aliiq;. Sed quia unus omninò eligendus eſt, maximè omnium juventuti commendandus videtur Bodinus, cui uni, ut Vir Cl. Gabriel Naudæus in Bibliogr. politicâ judicat, tantum cœteri concedunt, quicunq; unqvam de Republ. libros ediderint,

*Qvantum lenta ſalix pallenti cedit Olivæ:*

Et Politicæ viri iſtius idem dat tale teſtimonium:

nium: *Quantum*, inqvit, *ad ejus Reipubl. ſpectat, fatendum eſt, opus eſſe elaboratum ingenio, expolitum induſtriâ, perfectum judiciô, & ità numeris omnibus abſolutum, ut qvi ab illô diſceſſerit, haud abſimilis videatur illis antiqvioribus, qvi neglectâ vel ignoratâ Cynoſuræ præſtantiâ, navigationis curſum ad avicularum qvarundam placitum dirigebant, ſæpiusq; per cautes & ſaxa præcipites ferebantur.* Hæc ille. Sed cum iſtis, qvos commendo, Autoribus, conſilia particularia, qvæ uſpiam à magnis viris de Republ. data ſunt, conjungenda cenſeo. Et ex antiqvis qvidem Salluſtii inprimis Conſilium, qvod Cæſari dat de ordinandâ Republ: & Mæcenatis, nec non Agrippæ, qvorum alterum Auguſtus arctiſſimâ amicitiâ, alterum proximâ affinitate ſibi innexum de rebus Imperii conſtituendis conſuluerat. Addi his meretur elegans, & ut verbis facunda, ſic fæcunda rebus Epiſtola Ciceronis, qvæ inter epiſtolas ad Q. patrem ſcriptas prima eſt.

Artes Politicas in callidis Principibus Aulicisq;, qvos vetus & nova hiſtoria celebrat, unusqvisq; artem civilem docentium & diſcentium ſuô rimatur venaturq; ingeniô. Et extant libri iſta machinamenta, qvibus orbis Imperia & cardines circumaguntur, magnâ ſolertiâ evol-

ventes

ventes promentesq;. Inter qvos principatum tenere videntur, qvæ Machiavellus prodidit, vir acutus qvidem, sed cujus ut ingenium majore pietate & integritate dignum erat, ità jam non aliud meruit, qvàm ut cautissimè fides ei adhibeatur. Minùs acuta, sed magis proba sunt aliorum in istô argumento scripta, uti Arcana Clapmarl, Amirati in Tacitum, Savedrę Politica Emblematica, & alia ejusmodi. Aulicæ vitæ colores si qvis extra aulam nosse cupit, ei opinor utilis fuerit libellus, qvem olìm Juvenis ex Gallicô tradu&tum sub *Aulici inculpati* nomine (nam alterum sub Institutionum politicarum titulo protrusũ pro meo labore non agnosco) publicari, postqvã alterũ compereram editũ, pass° sum.

Cæterùm cùm singularum Rerumpub. instituta scire plurimum conducat Politico, hanc qvoq; ad rem libri eqvidem jam non desunt. Nam antiqvas nonnullas, uti Athenienſium, Lacedæmoniorum, & aliarum sexaginta, uti & Monarchiam Persarum utilissimô, atq; ad genium Polonici Regni accommodatissimo scripto Keckermannus prosecutus est. Nec novis describendis Ingenia decora defuêre. Unô tamen Volumine qvicqvid in singulis maximè

maximè memorabile, & scitu necessarium est, Boterus comprehendit, cui solerte operâ lumen deinde addidit Gothofredus, & adjectis Tabellis atq; Imaginibus Librum ipsum, nomine veteri mutatô, Archontologiam appellavit. Rempublicam Venetam cum Romanâ olim comparavit Qvirinus Piso: qvem librum Nobili Polono utilem lectu censeo, qvia Polona Respubl. cum illis duabus, Romanâ & Venetâ, multa habet communia. De ingeniis qvoq; singularum gentium observanda sunt judicia à viris insignibus profecta, qvales sunt Barclajus in icone animorum, Neuhusius, *Savedra sub Symb. 81.

* Theat. ingen. hum. lib. 1. c. 13.

## CAPUT XXIX.

*De historicô studiô nova monita.*

Cum Politicô studiô ut Historia pari passu ambulet, necesse est: neq; enim aliundè facilius aut melius civilis Prudentia hauriri potest. Sed quæ Historiæ, & qvô ordine legendæ sint, satis jàm ante videor mihi explicuisse: ut adeò nihil ferè qvod adjiciam, supersit. Hoc tamē monendum, in Historiis quibusvis sed præcipuè recentioribus, unicuiq; ea annotanda maximè, qvæ in suæ Patriæ publicis Negotijs aliqvandò suscipiendis habere usum qveant. Uti sunt inprimis Origines & Incrementa Regnorum & familiarum, tùm jura ac modi, quibus

bus quodq; seu regnum seu Provincia in potestatē seu Principis seu Reipubl. devenerit. Hinc enim de controversiis atq; etiam bellorum, qvæ eâ occasione inter populos hodiè geruntur, justitiâ aut iniquitate judicium ferri potest. Ità multum scire interest, qvibus titulis & modis Lusitaniæ seu Portugalliæ Regnum olim sub Hispanorum ditionem redactum sit, qvibus Neapoleos, qvibus Siciliæ, & alia ejusmodi Regna ab eodem Rege teneantur. Qvomodò Irlandia Anglis subjecta, Scotia verò innexa fuerit. Qvo pacto Serenis. Domus Austriaca Regnum Vngariæ obtinuerit, qvo Bohemię. Qvalia haud pauca olim collecta mecum adhùc servo. Sed ne Nobilis Polonus in suâ Rep. hospes sit, in Patriâ historiâ diligenter sibi annotandum censeat, qvomodò & qvando Regnum Poloniæ cœperit, qvando & qvomodò ab eo Moravia avulsa, qvando Silesia, qvomodò Lithvania innexa, qvomodò Pomerania, Russia, Prussia, Masovia, Scepusium: qvem ortum in Poloniâ habuerit Nunciorum terrestrium Autoritas, qvando Germani, qvi Poloniam incolunt, eò venerint, & undè Juris Magdeburgici in Civitatibus usus, & alia ejusmodi.

Ego

Ego ut minùs versatis præeam, de qvibusdam talibus in gratiam Nobilitatis Polonæ cursim aliqvid dicam. Inde in exemplo qvisq; discet, qvomodò ex aliis qvoq; qvibusvis Historicis similia colligi, & ad usum reponi possint & debeant.

Poloni gens Slavonica seu Sarmatica, Duce Lecho, tempore Mauritij & Phocæ Imperatorum id est circa Annum Sal. qvingentesimum qvinqvagesimum, è Sclavoniâ, vel ut alii & forsàn rectiùs, existimant, è Russiæ regionibus in eam, qvam nunc habitant, terram venere.

Religionem Christianam anno 965 Poloni suscepere, rerum apud eos potiunte Miecislao, cui, cum cœcus natus esset, septimô ætatis anno dies subitò reluxit, illustri lucis melioris, qvæ illi & Regno post affulsit, auguriô. Ejus Filius Boleslaus, Chrobri dictus, ab Ottone III. Imperatore, qvi ob Adelberti Martyris miracula posthuma in Poloniam venerat, regia Insignia, qvæ Pater ejus à Pontifice impetrare non potuerat, accepit.

Moraviam antiqvitùs Polonis subjectam, sed malè defensam à Miecislao Boleslai Chro-

bræi filio, Patri minimè simili, Bohemorum Dux Prædislaus terræ suæ adjecit circa annum 1030.

Silesia à Poloniæ Regno ad hunc modum avulsa est. Boleslaus ab ore distortô Crivoustus appellatus, moriens Regnum in filios, qvos habebat complures, diviserat. Eorum maximus natu Vladislaus, post patrem Regio diademate potitus, instinctu Uxoris Christinæ, Fratribus auferre, qvæ Pater singulis destinârat, satagens, bellum conflavit, in qvô victus ipse & pulsus Regnum amisit. Illi in Germaniam ad Uxoris suæ cognatos profugo primò Conradus Imperator opem, sed irritam, tulit; post eidem exuli Fridericus Barbarossa, bis appetitâ armis, sed sine magnô successu Poloniâ, Silesiam pactione impetravit. Vladislaus ergo Dux Silesiæ factus eam ad filios transmisit, à qvibus posteà in multiplices partes divulsa est. Polonia autem à Vladislai fratribus ordine sibi succedentibus possessa, apud minimi natu Casimiri posteros multis annis mansit. Ex qvibus ultimus Casimirus fuit ob virtutem Magnus appellatus, qvo sine masculâ prole extinctô Proceres Poloniæ Ludovicum Ungarum ad sceptrum vocârunt, agnatis Principibus Silesiæ exclusis.

cluſis. Ea res cauſam dedit, ut Principes Sileſiæ, orti à Vladislao, repulſæ & contemtus ſui dolore, à Polonis diſcederent. Erant autem illi ut numerô plures, ſic opibus diſpares; moribus porrò ita comparati, ut nec ferre qvietem, nec jura neceſſitudinis inter ſe colere ſcirent, & invidentiâ eô usq; provehebantur, ut ne ab inſidiis qvidem mutuis ac cædibus abſtinerent. Invitati his domeſticorum inter illos diſſidiorum occaſionibus ad concupitam jàm dudùm & tentatam ſæpè Sileſiam, Boëmici Reges, Johannes Lucelburgicus aſtutus princeps ejusq; filius Carolus, auctis inter diſcordes odiis, non magnô negotiô perfecerunt, ut aliqui ſponte, alii expugnati minis vel pretiô, plurimi blandis capti pollicitationibus liberas cervices obviis Bohemorum caſſibus implicarent. *Peucerus lib. V. Hiſtor. Car.*

Lithvania poſt multorum ſeculorum bella cum Regno Poloniæ circa ann. Chr. 1386. hâc occaſione coaluit. Ludovicus Ungarus, de qvô ſuprà mentio facta eſt, cùm in Poloniâ annis duodecim regnaſſet, moriens filiam unicam Hedwigin innuptam reliqvit. Qvàm cùm Poloni ſceptro deſtinâſſent, ob formam & dotem varii eam proci ambière. Inprimis duo ambi-

guâ inter se spe diù certârunt, Wilhelmus Austriacus Princeps, & Jagello, Gedimini, qvi primus occupatæ Lithvaniæ Magnum Ducem acceptô à Russis nomine se appellavit, Nepos. Vilhelmus Hedwigin, Iagello gentem Polonam magis propensâ habuit, obtinuitq; qvod voluit, sed hâc lege, ut Christiana sacra amplexus eôdem, qvo sibi Hedwigin, conjugio Lithvaniam (ad qvam Samogitia, & pars Russiæ tùm pertinebat) Poloniæ Regno sociaret.

Pomerania secundum littus maris Baltici longè procurrens Regio, indè & à situ illô in Lingvâ Sclavonicâ Ziemia Pomorska qvasi maritima dicta, olim à Vandalis, Herulis, Obotritis, &c. posteà à Sarmaticis populis inhabitata Duces suos habuit, Poloniæ qvidem stirpe & clientelâ innexos, sed subindè refractarios. Inter eos, regente Polonos Boleslao Crivousto Svantoborus bellis adversum Danos & hunc ipsum Boleslaum gestis præcipuè enituit. Cujus Liberi paternas possessiones partiti, distinctionem citerioris & ulterioris Pomeraniæ primi fecêre. Citeriorem, in qvâ est Stetinum, Bertislaus & Ratiborius sortiti sunt. Ex Bertislao nati Boguslaus & Casimirus libertatem

tatem, Leges & Lingvam vicinæ Germaniæ amplexi, relictis Polonis, Imperio Romanô se subdiderunt, & ab Imperatore Friderico Barbaroſsâ in numerum Principum Imperii in Caſtris ad Lubecam, ob auxilium contra Danos præſtitum, adoptati ſunt. *ann. 1140.* Ulteriores Pomerani Poloniæ magis vicini, eorum Societatem, qvanqvàm bellis aliqvando interpellatam, retinuêre tamen ad Sventopolcum usq; qvi iſtî tractui à Leſco Albô Rege Poloniæ præfectus, hoc, dùm forte lavaret, per inſidias interemtô, pro Duce Pomeraniæ ſe geſſit. Ejus vero filius Meſtvinus, cùm prole careret, terræ ejusdem hæredem ſcripſit Premislum Majoris Poloniæ primò Ducem, & mox univerſæ Regem, agnatis ſuis ob neſcio qvas ſimultates excluſis. Ita ergò iterum in Polonorum poteſtatem redacta ulterior Pomerania eſt. Sed eandem paulò poſt ſub Vladislao Loctio Marchiones Brandeburgenſes, qvi Premislum ob Pomeranicam, ut creditur, hæreditatem occiderant, Palatini Gedanenſis ejusdemq; filii proditione adjuti, occupârunt. Contra qvos cùm Crucigeri in Boruſſiâ tùm potentes, à Polonis invocati, inq; arcem Gedanenſem admiſſi eſſent, præmium

navatæ

navatæ operæ immensum postulantes, cedere Arce, qvam insederant, noluére: qvìn insuper Dersaviàm, Choniciam, aliaq; vicina oppida ceperunt. Ita ergò hæc Pomeraniæ pars eidem, cui Borussia, Cruciferorum Dominationi subjecta, eosdem posteà cum Borussiâ casûs diu habuit, cumq; eâ simul in gratiam tandem cum Polonis rediit, repudiatis scilicet Crucigeris, ut mox dicetur.

*Russia.* Russia meridionalis (nam alia septentrionalis est; qvæ Moscovia dicitur) sæpè qvidem armis Polonicis, Boleslaorum inprimis virtute subacta, Duces tamen suos semper retinuit. Qvi nec fide in Reges, nec concordiâ inter se æqvâ egêre. Casimiri Magni tempore Lubartus Gedemini Lithvanorum Ducis Filius, ducta Vlodimirienſium Ducis filiâ, omni eô Russiæ Tractu, qvi Lithvanos spectat, potitus est, reliqvorum Ducum, qvi plures, eoq; minores erant, viribus attritis. Reliqvum Terræ ejusdem, qvod ab Haliciâ, & Leopoli in Poloniam vergit, Boleslaus Masovius, hæredem se matris Russæ ferens, subegit, paulô post venenô à Russis novum jugum malè ferentibus necatus. Eâ occasione Casimirus, qvem

qvem ante nominavimus; antiqvam ditionem Poloniæ vindicaturus, ſubitaneis copiis Leopolin diripuit, & poſt alterâ expeditione oppidis captis pluribus, tantum terrorem Ducibus injecit, ut paucis ſibi reſervatis urbibus, reliqvam Ruſſiam ipſi concederent. Qvi illam adeô in Provinciam tum redegit, Palatinis, Caſtellanis, alijsq; Magiſtratibus ad Polonicum morem ibi conſtitutis, religione tamen propriâ eidem relictâ. Ex eô tempore turbidi nonnunqvam Ruſſi, nec malarum molitionum expertes prorsùs, tamen nunqvam conſenſu aliqvô Imperium Polonicum excutere ſunt aggreſſi. Noſtro hoc ſeculô illa gens, ducibus Coſacis, auxiliantibus Tartaris, æqvè ſibi qvàm Regno Polonico moleſtiam faceſſit.

Inter Samatiæ Gentes, qvas Ptolemæus enumerat, nominari Boruſcos videmus, poniq; in eâ orâ, qvam nunc Livones & Moſchi inhabitant. Qvi ſi cum Pruſſis ſeu Boruſſis hodiè ita vocatis iidem ſunt, ſedem illos ſuam nonnihil verſus Occidentem poſt Ptolemæi tempora promoviſſe oportuit. Qvicqvid ſit Pruſſorum gens olìm â Boleslao Chrobræo primo Polonorum Rege incurſionibus vehementer infeſtata, *De Boruſſia.*

ſeqven-

seqventibus temporibus multũ negotii proximè adsitis Masoviis, posteà & vniversæ Polonorum nationi facessivit. Dux Masoviorum eqvidem viribus barbari tùm, & ferocis populi impar, necesse habuit Fratres Teutonicos, tùm è Syriâ ejectos à Saracenis, in auxilium vocare, tradito illis tractu Culmensi, & qvę inter Vistulam, Mocram ac Dervanciam interjacent, terris, hâc tamẽ lege, inqvit Cromer°, ut ubi Prussos domuissent, Culmensem Tractum redderent, qvæ verò de Barbaris cepissent, arbitriò bonorum virorum secùm partirentur. Subacta ergò à Religiosis istis militibus (vulgò Cruciferis vocatis) brevi tempore Prussia est, debellatis partìm atq; ab Idololatriâ abductis, partìm deletis incolis, novisq; è Germania Coloniis, Principum Urbiumq; Teutonicarum ope, sensìm introductis, Regioneq; ipsâ sic cultâ & exornatâ ædificiis frequentib° more & ritu Germanicô: sic ut tandem etiã Imperatores aliquid juris sibi in hanc provinciam vendicarent: debiliore istis temporib° potentiâ Polonorum, eo qvod post Crivoustum in multos principes & principatus divisi, minus in commune consultabant, & assiduis Tartarorum Russorum Lithvanorumq; incursionibus

mirè

mirè aliqvandiu fuerant exagitati. Sub Vladislao Loctico cum, ut paulò ante dictum, Pomerania â Marchionibus Brandeburgicis, juvante Palatini Gedanensis filio, magnam partem Polonis erepta esset, vocati contra illos in auxilium sunt Cruciferi, certis tamen pactis, & de præmio laborum stipulationibus. Qvas cum minùs Cruciferi servarent, sed Arce Gedanensi, qvam defendendam susceperant, cedere posteà abnuerent, pluraq; alia Pomeraniæ oppida sibi raperent, tùm demùm exarsit bellum, qvod à Vladislai Loctici temporibus ad Sigismundum I. usq;, hoc est, ducentis & ampliùs annis duravit, brevi aliqvando pace, sæpiùs induciis tantùm interruptum. Regnante verò apud Polonos Casimiro III. tædere Prussos ser- *ann. 1454.*
vitutis, qvam sub impotente Crucigerorum dominio patiebantur, cœpit, initâq; conspiratione ab illis ad Casimirum defecêre. Qvi cum oppressos in Clientelam recepisset, defendissetq; contrà Cruciferos magnis belli labori- *1466.*
bus fessi tandē Hostes pacem petiêre qvæ & coiit hâc Lege, ut ditiones Culmēsis & Michaloviensis, & Pomerania omnis, Mariæburgum, Elbinga, Stuma, Christiburgum, Tolchemita,

cum aliis nonnullis locis cederent Polonis, reliqva retinerent Cruciferi, sed ità, si in fide & clientelà Polonorum manerent, vid. Crom. l. 26. sub finem. Multis post annis Crucigerorum Magister renunciatus est Albertus Brandenburgicus, qvi cùm sacramentum ex pactô dicere Regi Poloniæ renueret, bellum resuscitatum est. Sed Albertus, cùm frustra opem Imperii contra tàm potentem hostem imploràsset, Regi se, & qvicqvid Cruciferorum nomine teneret, subjecit, eumq; in modum primus ex Magistro Teutonicô Dux Prussiæ, Poloniæq; Vasallus factus est: conventionem illam neqvicqvam rescindere conante Cæsare, & ipsô Alberto frustrà à Camerâ Imperiali proscripto. Vid. Sleid. l. 7. & 8.

*Elector Brandeburgicus undè Dux Prussiæ.*

*Masovia* ad hunc modum Poloniæ innexa est. Cum regnante apud Polonos Casimiro III. Janussius Masoviorum Plocensium Dux, cælebs mortuus esset, Ducatum Plocensem Rex jure feudi, ut vocant, ad se devolutum Regnô adjunxit. Janussio frater erat Conradus, cui reliqva Masovia, Varsavienſi, Vissegrodenſi, Zacrocimenſi, Ciechanovienſi, Lomzenſi, & Novodworenſi territoriis distincta ad vitæ dies,

Cirnenſis

Cirnensis Terra sempiterno jure concessa. Sed ejus posteritate extinctâ, omnes hæ terræ Regno Poloniæ sub Sigismundo I. accessêre, privilegiis tamen qvibusdam veteribus usq; fruentes.

Circa annum Christi 1413. Sigismundus Ungariæ Rex, & post etiam Germaniæ Imperator, à Vladislao Iagellone Rege Poloniæ octoginta millia sexagenarum Pragensium mutuò petiit, obtinuitq;, oppignerato Iagelloni Scepusiensi Tractu cum tredecim oppidis, arce tamen Scepusiâ exceptâ. Ex eô tempore *Scepusium* in ditione Polonorum est ad hanc usq; diem. Crom. l. 18. sub fin. *Scepusium.*

*Nunciorum Terrestrium ortus & autoritas.*

Cùm anno 1469. Casimirus III. Conventum Polonorum Minorum (ita appellantur Cracovienses, Sendomirienses, & Lublinenses) Visliciæ ageret, subsidium ad exolvenda stipendia postulans, non abnuit id qvidem Nobilitas, verùm sine Majoribus Polonis nihil sciscendum sibi putavit. Qvare placuit binos è Satrapiis sive Palatinatibus Legatos ad Comitia Petricovienſia mitti, qvi decernendi in commune cum cæteris moderati tributi potesta-

tem haberent. Atq; hoc tùnc fieri cœptum sic inolevit posterioribus temporibus, ut sine ijs Legatis, seu Nunciis Terrarum (sic enim vocantur) nulla Comitia legitima habeantur, neq; tributum decerni, ac nè Lex qvidem ulla ferri possit.

*Qvô tempore Castellanus Cracovienſis potiorem locum Palatinô habere cœperit.*

*Circa annum 1117.* Boleslaô Crivoustô regnante, Palatinus Cracovienſis Scarbimirus qvidam erat, Vir manu animoq; promtus, & rebus benè gestis inclytus. Sed is superbior posteà factus, à Boleslaô, cui obtrectare, & opum factionumq; fiduciâ rebellionem minari cœperat, excœcatus & Senatu motus est. Ac ut dignitati ejus major nota inureretur, constitutum tùm fuit, ut Cracovienſis Castellanus Palatinum præcederet. Qvod hodieq; obſervatur, cum in cæteris Palatinatibus primus loco & dignitate Palatinus habeatur. Sed ex longiore excursu, cui veniam dari peto, tandem ad rem reversi telam nostram texere pergimus.

## Caput XXX.

*Chronographia, Geographia, & Geometria.*

Historia, ut magnus Vir Gerardus Vossius dicere solebat, duobus velut pedibus nititur, Chronographiâ & Geographiâ. Nam illa

illa temporum lucem infert narrationibus, hæc situm adscribit locorum, qvorum notitiâ sanè opus est, nisi in orbe, & qvæ orbis, Provinciarumq; singularum res persequitur, historiâ, tanqvam in ignotâ sylva errare velimus. In utraq; non desunt hodiè nobis Autores, qvi facem præluceant. In Chronologiâ Bucholcerus, Funccius, Emmius, Scaliger, Calvisius, Petavius, Helvicus præstant. Ego (qvia omnes legi non possunt à nobili) si brevem qvis velit, Bucholcerum, si prolixum, Calvisium prætulerim aliis: qvia etsi cæteris non videntur eruditione majores, imò aliqvibus vix pares, tamen usui magis accommodati sunt. In Geographicis primi manuductores sunto Cluverus & Bertius: posteà ad Ortelios, Mercatores, Theatra Urbium, & Atlantes progressus fiet. Qvi libri cari eqvidem sunt, sed pretium sui multiplici utilitate & svavitate largè refundunt. Sed inprimis, ut rectè monet Magnus Savedra, conclavia illustrium Discipulorum ejusmodi aulæis & peristromatis vestiantur, qvæ tectorio opere variè elaborata generalem qvandâ Orbis delineationem, h. e. qvatuor mundi partes una cum celebrioribus fluviis, montibus, urbibus aliisq;

aliisq; insignioribus locis spectanda exhibeant.

Geographiæ mentio revocat me in memoriam cæterarum artium Mathematicarum: qvas si omnes disci à Nobilibus vellem, nimis prodigè eorum tempora viderer erogare. Interìm Arithmeticam & post hanc Geometriæ elementa omninò illorum digna studio arbitror, neq; qvisqvàm opinor contradixerit. Habet ea disciplina usum in re familiari, habet in finium dirimendis controversiis, habet deniq; in munitionibus, & in omni re militari. Qvæ hodiè à Geometriâ, atq; inprimis Mechanicâ plurima petit subsidia. Nolim itaq; ejus expertes esse Generosos juvenes, cum horum uti è Martiis operibus cœpit, ità iisdem tueri decus suum soleat Polona Nobilitas: ipso scilicet soli patrii genio ac positu ad arma invitante, cum â vicinâ Tartarorum Turcarumq; (ut alios jam omittam) potentiâ sæpè vis inferatur his terris, semper certè metuenda sit. Unde etiam anterioribus temporibus non æstimabantur, imò nec his, etsi in deterius fluentibus, multùm adeò æstimantur Nobiles, qvi partem juventutis & fortunarum non dederint militiæ, adeoq; vel ipsimet bellica fortitudine

*Vide Savedram sub symb. V. edit. min. p. 37.*

dine, vel saltem missis copiis suis (uti inter Magnates hîc usitatum) bonos se patriæ filios probârint. Si qvi verò â bellô abstinent, (uti sanè aliis delicatæ peregrinationes, aliis valetudo, aliis alia obstât,) eos hunc velut defectũ aliis insignibus ac conspicuis dotibus, nisi contemni velint, pensare oportet. Tantum igitur cùm pretium sit gloriæ militaris in Poloniâ, non sunt Nobilibus negligenda qvæ ad eam rem faciunt: legendiq; adeò etiam rerum bellicarum scriptores, qvales sunt Vegetius, Onosander, Frontinus, Lipsius de Militiâ Rom. Hermannus Hugo, Starovolscius, de la Noue aliiq; similes.

CAPUT XXXI. *Superiorum facultatum delibatio.*

Istis hactenùs enumeratis exercitationibus ex superiorum deniq; facultatum sacrariis addere debent coronidem Nobiles. In *Theologiâ* eò usq; minimùm progredi nitantur, ut religionem suam penitùs intelligant, & ubi necessitas postulaverit, defendere, telaq; adeò impetentium retundere possint. Sed inprimis Theologiæ practicæ navam impendant operam, atq; ex eâ Deum diligere & venerari, piè, justè, sobriè vivere, seipsos & conscientiam suam revereri, opera deniq; Charitatis exercere discant.

Magna-

Magna enim jam licentia & dissolutio ubiq; dominatur, adeò ut qvæ vitia erant, abierint in mores. Et inter Nobiles reperiuntur qvidem, qvi laudatis Majorum suorum vestigiis decora æmulatione insistunt, sunt tamen qvoq; nimis multi, qvi vitiis omnes alios anteeunt, genus suum & nobilitatem ex virtutis actionibus præclaris natam, mirè defœdantes, nec non opibus avitis abutentes intemperantissimè.

*Iuris scientiam* meritò magni faciunt Nobiles, cùm jus subditis suis dicere subindè teneantur, cùm & identidè res ferat, ut judiciis partìm terrestrib⁹, (ut vocant,) partìm tribunalitiis aut interstint, aut præsint, patente isthâc Iudiciorum Prætura cuilibet Nobili, & inter tot inqvietos, & ex libertate sæpè licentiosos nascente facilè litium materiâ, ob qvam vel vocent alios injus, vel ab aliis vocentur. Sed qvia proprium legum ac statutorum Regni codicem Nobilitas Polona habet, eum ut sibi cognitum & familiarem Nobiles reddant, oportet. Ut tamen etiam fundamenta legum patriarum tantò meliùs percipiat judiciumq; adeò suum ex ipsis juris principiis, verissimis divinitatis radiis, informet, duos minimùm libros velim legere

legere & diligenter legere nè gravetur: primùm Institutiones Iustiniani brevibus notis â doctissimis viris, Corvino inprimis & Joanne Pomereschio illustratos, & posteà librum Hug. Grotii de jure Pacis & Belli: qvi liber omnigenę erudi-tionis, qvalis Politicum decet, pleniſſimus eſt.

*Medicinam* cuiq; Nobili vel propria valetudo satis commendaverit, & culta illa etiam à Regibus eſt, nedùm Nobilibus, ſed eò usq; in hâc arte proficere, ut morborum ſuorum, vel alienorum curationem, rem ancipitem, & vitam hominis facilè in periculum adducentem ſuſcipere auſint, non eſt, niſi eorum, qvi omnes cogitationes ſuas & vitam omnem huic arti impendêre. Aliqvantum verò delibâſſe ex hâc arte eò prodeſt, ut tantò faciliùs doctum Medicum noſſe atq; adeò adſciſcere, & deindè ipſius etiam Medici, qvem vocaverit, curam ac diligentiam acuere qvisq; poſſit. Pręcipuè verò, ut corporis humani fabricam perſpiciat, ſectiones anatomicas, ubi occaſio datur, diligenter à Nobili freqventari velim: & ſimul brevem Autorem, qvalis eſt Dreſſerus de partibus humani corporis, vel Anatomia Bartholini, percurri. Cavendum tamen, nè pauxillum illud, qvod

Nobilis ex Medicinâ didicerit, typhum aliqvem atq; opinionem scientiæ creet: adeoq; is si Medicus turgidæ ejus scrupulositati non illicò semper satisfacere videatur, diffidentiam indè concipiat, qvæ maxima bonarum medicationum remora est. Oportet enim ægrum fidere Medico, & arti ejus, ut cuidam qvasi Dei manui, credere, si velit convalescere. Inprimis autem *Diæteticam Medicinam* qvisq; sanè Nobilis jure sibi habet commendatam: qvò tantò meliùs regere suam domi valetudinem qveat. Neq; enim cujusvis est alere, atq; assiduum sibi habere Medicum. Qvanqvàm & hìc nolim svadere, ut certæ & scrupulosæ diætæ Nobilis, præsertìm Polonus, assvescat, nisi qvis singulari aliqvâ corporis imbecillitate eò adigatur. Qvæ ipsum à multis qvoqvè exorbitandi occasionibus, &, ut seculum est, necessitatibus, qvas validi in vità istìc civili vix effugere possunt, excusaverit.

Ad Diæteticam istam *corporis exercitia* pertinent, res à juventute Nobili magni plerumq; habita, & apud exteros magnô nummorum & temporis impendiô qværi solita. Ac forsàn aliqva ad corporis robur & agilitatem utcunq; utilia

utilia esse concedi possit, sed multa profectò vaniora sunt, qvàm ut tantô pretiô emi debeant. Neq; ad motum corporis necessaria nobili esse puto, cui in patriâ rarò qviescendi spatium, potiùs verò nimii motûs freqventissima & prorsus qvotidiana occasio est. Sed de hâc Exercitiorum peregrinorum vanitate, vide & considera qvæ doctè vereq; disserit Vir natalibus, ingenio, doctrinâ & dignitate Magnus in Poloniâ suâ contra Barclajum defensâ â pag 57. usq ad 65.

CAPUT XXXII. *Anacephalæosis.*

HÆc mea de Educatione nobilis atq; Illustris juventutis sententia est, ita nova ut regiam usitatæ hactenùs methodi viam non tàm deserat, qvam emendet. Si qvid etiam minùs tritum occurrat, id nolim ideò tardiùs fidem inveniat. Nihil enim scripsi, nisi certissimis documentis comprobatum. Sed qvia in nonnullis lectorem ad alia scripta remisi, in cæteris verò vel ordinem minus, vel nimis copiam videri possum sectatus, ideò summa potissimorum Monitorum capita in opere ipsô latè diducta compendio hic tradam: etsi vereor, nè, si ex compendio istô de toto libellô judicium qvis facere velit, nihil hic singulare

traditum credat: segniorq; adeò ad lectionem totius reddatur. Sed qvi sapiunt, scient, qvale sit judicium, qvod ex arido & informi sceleto de corpore fieri solet. Latinitatis vocabula, & rerum vocabulis significatarum prima lineamenta ex Vestibulô, & posteà Ianuâ Cl. Comenij, tùm Nomenclatoribus indè confectis hauriant discētes. Latinitatis analogiam & anomaliam, hoc est, vocabulorum flexionem, connexionem, usum, tàm illum, qvi sub certa generalium regularum qvasi signa revocabilis est, qvàm alterum à regulis generalibus abeuntem ex grammaticis dextra interpretatione intellectui, crebrâ lectione & repetitione memoriæ impressis, percipient. Grammaticam omnibus eandem præscribere non est meum, qvia Scholæ aliæ aliam habent. Brevissima tamen omnium est, qvæ Regia vocatur, nuper Lugduni Batavorum impressa. Plenior Rheniana, & perspicuitate alijs omnibus par, exemplorum verò copiâ etiam superior est: novitate, sed simul ad naturam apprimè accommodatâ methodô Comeniana excellit. Latinitatis puritatem ex Cicerone potissimum bibent discentes: cui addetur Corn. Nepos, &

ex

ex Terentio phrases & elegantiæ, pro adultioribus etiam ex Plautô selectæ. Ad familiarium sermocinationum facilitatem assequendam Progymnasmata Pontani, Colloqvia Ludovici Vivis, Erasmi, Corderii, vel Helvici, qvi ex pluribus ejusmodi unum libellum contexuit, conducent. Stylus qvàm creberrimè movendus: proponendæ imitationes, nonnunqvàm in arenâ, aliqvando etiam curâ domesticâ elaborandæ. Fiant versiones ex Latinô & reversiones: versionibus ex vernaculô sermone factis versio Præceptoris, vel ipsius Autoris, è qvô depromta est pericope, textus addatur, & simul elegantiæ inde excerptæ subjiciantur. Materia verò sit seu Ethica, seu politica, seu historica. Atq; ut moralium vel civilium virtutum prima semina primò ex Cicerone, deindè ex aliis à Ciceroniano stylo non dissonis scriptoribus, maturè animis nobilibus inserantur, sententias ejusmodi ethicas vel politicas, & qvomodò eæ ad usum transferendæ aliqvandò sint, simul discant.

Ubi nonnihil firmati in stylô fuerint, Rhetorica præcepta, tùm & variandi dilatandiq; modos discant: mox ad Chrias accedant, simul

& ex

& ex Cicerone, Muretô, Manutiô, Erasmô, Plinio juniore, Politianô, tùm & aliqvas ex illis clarissimorum virorum, qvæ separatim hoc titulô excusæ & pleræq; politicæ sunt, Epistolas selectas primò vertant in vernaculum, posteà in Latinum, sed cum qvâdam Paraphrasi, & mutatis propriis locutionibus in figuratas, & figuratis in proprias, reducant.

Logicæ deinceps elementa proponantur, ejusq; usus demonstretur in Autoribus, qvos eloqventiæ vel civilis doctrinæ causa legunt, audiuntve. Inprimis argumenta in materiis hortandi, dehortatoriis, commendatoriis, nuptialibus, consolatoriis, funebribus, Panegyricis, gratulatoriis, expostulatoriis, purgatoriis, & aliis ejusmodi invenire primò, deindè disponere ex arte Rhetorum, atq; exornare tandem, & memoriter declamare discant. Qvam ad rem ut res & verba largiùs suppetant, Orationes Mureti, Baudii, Heinsii, Siberi, Junii Virdungi, Buchneri, Berneggeri, Vernulæi aliorumq; talium; Historiæ Curtii, Cæsaris, Paterculi, Justini, Sallustii, Livii, Svetonii, & postremò Taciti, inter recentiores Tursellini, Buchanani, Maffæi, Stradæ, Puteani, Cromeri, Reidani, Thuani, &c.

ni, &c. evolvendæ sunt. Subindè & Poëta aliqvis, Virgilius inprimis, Seneca Tragœdus, Claudianus, Lucanus, & qvi Poëtas inventione & stylô effingit, Barclajus Historicis interponendus est. Ex omnibus verò, qvos legerint, Autoribus, optima & elegantissima qvæq; , uti acutè dicta, adagia, similitudines, Elogia, judicia, Comparationes, Epigrammata, & alia hujus generis, modô suprà diffusè monstratô, excerpent, & ad futurum olìm in seriis negotiis, in Orationibus publicè habendis, in congressu & convictu qvôvis civili, usum reponant.

Autorum ejusmodi lectioni Philosophiæ tàm theoreticæ qvàm Practicæ addantur Præcepta: Sed ex Theoreticâ ii potissimum flosculi consectandi sunt, qvi ad vitam civilem aliqvid adjumenti afferre possint. Qvâ in re cum curâ, sed majori operi proludentes, hìc præivimus.

Ut Historias meliùs intelligant, in Chronographiâ & Geographiâ nobiles exercendi sunt. Addenda etiam Geometria, ars in militiâ & alibi nobilibus perneceſſaria.

Fastigium deniq; huic universæ eruditionis structuræ Iurisprudentia & Theologia, qvantum necesse est, delibatæ imponent. Qvod

supereſt,

ſupereſt, DEUM precor, ut vobis, qvi Illuſtri genere nati ad magna deſtinamini, animum det ad ejusmodi monita ſeqvacem, tùm & ſeqvi volentibus gratiam ſuam, & ingenii corporisq; vires idoneas largiatur: eò deniq; provehat, ut, qvi nunc præſcriptum, & exemplum alienum ſeqvimini, inter exempla olìm fulgeatis, qvæ imitari alii velint, non niſi rari & optimi poſſint!

---

Emendanda.

Pag. 16. lin. 19. *pro* dùm *lege* cùm *p.* 21. *lin.* 23. *poſt* qvæ *pone* maximè *p.* 33. *lin.* 16. *poſt vocem* maximè *tolle* (,) *p.* 38. *lin.* 22. *lege* controverſias *p.* 43. *lin.* 11. *lege* prævalida *p.* 45. *lin.* 5. *adde* Dec. I. *& lin. ult. lege* Palatium *p.* 46. *lin.* 16. *adde* Dec. I. *p.* 47. *l.* 5. *adde* Dec. I. *p.* 49. *lin.* 14. *adde* Dec. I. *p.* 50. *lin. pen. adde* Dec. I. *p.* 51. *lin.* 1. *adde* Dec. I. *p.* 54. *lin.* 11. *lege* imperarì *p.* 56. *lin.* 8. *adde* Dec. I. *p.* 57. *lin.* 15. *adde* Joannis *p.* 58. *lin.* 22. *lege* accommodata *p.* 60. *lin. pen. adde* Dec. II. *p.* 66. *lin. antepen. pro* Jovi *pone* Herculi *p.* 67. *lin.* 15. *pone* cum priore illo *p.* 71. *lin.* 12. *lege* Parietariam *p.* 75. *lin.* 1. *poſt* obſervat. *pone* polit. *p.* 80. *lin.* 17. *pone* Illuſtriſs. *p.* 93. *l.* 2. *poſt* negotia *pone* enim *p.* 96. *lin.* 25. *lege* ſcintillâ *p* 97. *lin.* 15. *pone* inter- *& lin.* 23. *lege* acria *p.* 105. *lin.* 14. *lege* occaſione *p.* 107. *lin.* 12. *lege* mortualibus *p.* 121. *lin. ult. pro* certè *pone* ſanè *p.* 126. *lin.* 8. *poſt* Tacitum *pone* Diſſertationes *p.* 129. *lin.* 20. *lege* Adalberti *p.* 131. *lin.* 23. *in voce* qvàm *tolle accentum p.* 135. *lin.* 17. *lege* Sarmatiæ.

Reliqva benignus Lector ipſe corriget: donec his omnibus accuratiorem limam alia editio admoveat. Qvam à nemine tamen, niſi conſultò Autore, tentari velim, nè dùm alii fraudem molitur, ſibi faciat.

(o)

Bibl Jag

*KSIĘGARNIA*
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
735969 E

Biblioteka Jagiellońska
stdr0013635